DE RUFINI ANTIOCHENSIS COMMENTARIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE REGIMONTANO

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

KURT CYBULLA,
LIPOWITZENSIS.

REGIMONTI
EX OFFICINA HARTUNGIANA
1907.

Gedruckt mit Genehmigung
der philosophischen Fakultät der Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.

Referent: Professor Dr. L. Jeep.

Ludovico Jeep

praeceptori carissimo

S.

Inter auctores artis metricae in editione grammaticorum latinorum t. VI p. 554—78 ab Henrico Keilio curata duo commentarii nomine Rufini memoriae traditi sunt. Quorum commentariorum pretium quamquam praeter alios Ritschelius cognovit, ut Parerg. Plaut. I, pag. 374 'praeclara Rufini excerpta' praedicaret, nemo satis adhuc eos perscrutatus est. Proposui igitur mihi accuratam investigationem eorum.

Commentarium Rufini hoc modo est compositum: primum legimus p. 554—558 excerpta quaedam de metris Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum poetarum ex aliis grammaticis, qui de re metrica scripserunt, p. 554,$_{4-9}$ ex Euanthii commentario Terentii de fabula, p. 555,$_{1-4}$ ex Aspri commentario Terentii, p. 555,$_{5-10}$ ex Diomedis arte grammatica, p. 555,$_{11-15}$ ex libris Varronis de lingua latina ad Marcellum, p. 555,$_{16-21}$ ex Charisii arte, p. 555,$_{21}$—556,$_{6}$ ex Bassi ad Neronem de iambico scripto, p. 556,$_{7-17}$ alia duo Varroniana. Atque postquam p. 556,$_{18-21}$ M. Tullius Cicero, Quintilianus, Flavius Caper commemorati sunt, habemus pag. 556,$_{22}$—558,$_{6}$ duos locos ex Victorini arte allatos qui excipiuntur a versibus, ut tituli, qui h. l. legitur, verbis utar, Rufini grammatici de metris Terentii et Plauti et ceterorum p. 558,$_{7}$—560,$_{8}$. Subsecuntur p. 560,$_{9-27}$ Terentiani versus de iambis fabularum,

deinde p. 560, $_{28}$—561, $_{10}$ nonnulla ex Sisennae et Scauri commentariis in Plautum. Quibus excerptis p. 561, $_{11}$—564, $_{6}$ pauca adiunguntur Iubae et Firmiani ad Probum de metris comoediorum p. 564, $_{7-20}$. P. 565, $_{1-6}$ ei viri docti, qui 'mensuram esse in fabulis Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum dicunt', quibus annectitur distichon Rufini, quo finitur dissertatio de metris Terentianis et explicatio de compositione et de metris oratorum p. 565, $_{9}$ incipit, quae inscribitur 'Versus Rufini V. C. litteratoris de compositione et de metris oratorum'. Est autem in plures partes partita, quarum nonnullae titulos particuliares habent. Atque post illos versus primum Ciceronis 'de numeris oratoriis' locus affertur p. 567, $_{30}$—568, $_{3}$, quem p. 568, $_{4-11}$ Quintiliani et Diomedis p. 568, $_{12-18}$ sequitur, deinde Ciceronis locus ex arte rhetorica ad Herennium p. 568, $_{19-22}$, quem eiusdem verba de structuris excipiunt ex libro de oratore p. 568, $_{23}$—570, $_{13}$; secuntur verba ex oratore p. 570, $_{14}$—571, $_{27}$, quibus denuo quaedam ex libro de oratore annectuntur p. 571, $_{28}$—572, $_{5}$. Tum loco ex Ciceronis Bruto allato p. 572, $_{6-17}$, cui Flavii Sosipatris Charisii de numeris sententia subiecta est p. 572, $_{18-23}$, duo Ciceronis loci ex libro de oratore excerpti collati sunt p. 572, $_{24}$—573, $_{17}$. Postquam adiuncta sunt etiam verba Victorini 'de compositione' p. 573, $_{18-21}$, viri docti enumerantur, qui 'de compositione et numeris et pedibus oratoriis' scripserunt, tam Graeci, qui in Ciceronis libris inveniantur, quam latini p. 573, $_{22-26}$. Iam vero verbis ex Oratore Ciceronis denuo sumptis collatis p. 573, $_{27}$—575, $_{2}$, Terentiani versus describuntur de cretico p. 575, $_{3-11}$. Pompei cuiusdam Messalini subnectitur locus p. 575, $_{12-22}$, et p. 575, $_{23-25}$ Ciceronis 'de compositione Demosthenis', post quae rursus 'Versus Rufini V. C. de nu-

meris et pedibus oratorum' coeperunt inde a p. $576,_{1}$. Adiectis denique Ciceronis sententiis de incisis et membris et de circuitu p. $576,_{9-29}$, paucis verbis conscriptis ex Donati et Probi disciplina de structura et pedibus oratoriis p. $577,_{1-9}$, duo Ciceronis loci p. $577,_{10}$ sq., quorum prior de numeris et pedibus et structuris oratoriis ex Oratore sumptus est, alter ex arte rhetorica ad Herennium de membris, quae eidem Ciceroni rursus adscribitur, finem totius faciunt.

Inscriptionem commentarii exhibent codices Parisinus 7496, quem Keilius littera A designavit, Parisinus 7498 littera P designatus Vaticanusque bibliothecae Reginae Christinae 733, cui Keilius signum R tribuit: CŌMENTARIVM RVFINI V̄D̄ (RVFINI VIRI DISSERTISSIMI P) GRĀMATICI ANTIOCHENSIS IN METRA TERENTIANA, codex Parisinus 7501 littera B a Keilio signatus: COMMENTARIVM RVFINI V̄D̄ GRĀM ANTIOCHENSIS IN METRA TERENTIANA INCIPIT. Quae inscriptio quod ad auctorem commentarii pertinet, eo probatur, quod in libello ipso auctor identidem titulis separatis, quos iam commemoravimus, nominatur, quales sunt pag. $558,_{7}$ 'Versus Rufini grammatici de metris Terentii et Plauti et ceterorum', p. $565,_{9}$: 'Versus Rufini V. C. litteratoris de compositione et de metris oratorum', p. $566,_{6}$ 'Versus Rufini V. C. litteratoris de numeris et pedibus oratorum', p. $566,_{32}$: 'item versus Rufini', p. $567,_{21}$: 'De Theophrasto idem Rufinus metro sapphico sic', p. $575,_{26}$: 'Versus Rufini V. C. de numeris et pedibus oratorum'. Accedit, quod nonnullos locos, quamquam nomen Rufini in eis desideratur, tamen ab illo grammatico factos esse aliae inscriptiones testantur, sicut p. $565,_{21}$ 'item sic', quod quidem quin in 'idem sic' permutandum sit non dubito,

p. 566, $_{21}$ 'idem sic'. Etiam reliquae inscriptiones, quas adhuc nondum attuli, sine dubio ad Rufinum spectant, cum ex titulo praecedente nomen huius grammatici supplendum esse nemo non videat, sicut p. 559, $_{5}$ 'de iambo hipponacteo', p. 559, $_{16}$ 'de pedibus quibus haec consistunt metra', p. 559, $_{24}$ 'de nomine talium versuum sive metrorum', p. 559, $_{29}$ 'de choliambo', p. 560, $_{3}$ 'de metris comicis', p. 567, $_{6}$ 'de ambitu sive circuitu, quem Graeci *περίοδον* dicunt, sic', p. 567, $_{16}$ 'de genere iudiciali, *περὶ τοῦ δικανικοῦ*', p. 567, $_{18}$ 'de genere deliberativo, *περὶ τοῦ συμβουλευτικοῦ*'. Denique distichon p. 565, $_{7-8}$ idem indicat:

'Haec ego Rufinus collegi mente benigna
discipulisque dedi munera pulchra libens'.

Ergo dubitari non potest, quin re vera magna pars commentarii Rufino tribuenda sit.

Totum libellum in duas partes divisum esse ostendunt cum argumentum, quia priore parte pag. 554—565, $_{8}$ agitur de metris Terentii aliorumque poetarum comicorum et tragicorum, posteriore pag. 565, $_{9}$—578, $_{8}$ de numeris oratorum, tum tituli particuliares, quos iam supra attuli. Praecipue autem libellum bipartitum esse confirmatur ea re, quod uniuscuiusque partis proprii fontes adnotantur, quos priore parte enumeratos reperimus in fine commentarii p. 565, $_{1-6}$. Legimus enim: 'Mensuram esse in fabulis [hoc est metron] dicunt hi, Cicero, Scaurus, Firmianus, Varro, Victorinus, Caesius Bassus, Terentianus, Caecilius Vindex, Cinna, Sisenna, Diomedes, Albinus, Quintilianus, Sosipater Charisius, Helenius, Asper, Fl. Caper, Arruntius, Probus, Plinius, Euanthius, Sacerdos qui et Donatus, Iuba'. Hanc enumerationem sequitur illud distichon, quod iam supra exscripsi.

In altera particula scriptores, qui de numero oratorio scripserunt, collati sunt p 573, $_{22-26}$, tam graeci ex auctoritate Ciceronis, quam latini ex Rufini: 'De compositione et numeris et pedibus oratoriis, ut Cicero dicit, isti scripserunt apud Graecos, Thrasymachus, Naucrates, Gorgias, Ephorus, Isocrates, Theodectes, Aristoteles, Theodorus Byzantius, Theophrastus, Hieroymus; latine de numeris hi, Cicero, Victorinus, Eusebius, Terentianus, Varro, Probus, Charisius, Diomedes, Quintilianus, Donatus, Victor, Servius'. Et quod haec enumeratio non est in fine sita commentarii, mirandum non est, quia totum opusculum perturbatum est. Sed ex comparatione cum simili loco p 565, $_1$, quem supra contulimus, plane patet latinos fontes, quibus Rufinus usus est, ab ipso conscriptos esse.

Si priorem enumerationem fontium p. 565, $_1$ consideramus, statim in qua re vertatur cardo totius cognoscimus, cum in fabulis comicorum et tragicorum poetarum 'mensuram' esse contendatur. Manifestum est hoc contra sententias eorum scriptum esse, qui sub finem antiquitatis in Terentii fabulis versus esse noluerunt.[1]) Quae sententia redolet locos eiusmodi, qualis legitur apud Euanthium[2]) adlatum a Rufino p. 554, $_6$ sq., qui 'Veteres, inquit, esti ipsi quoque in metris neglegentius [egerunt] iambici versus, dum taxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione huius metri, quantum potest, comminuti ad imaginem prosae orationis'. Cuius loci πρωτό-

1) Nuper etiam Mich. Gitlbauer perversissima sententia Terentii fabulas in medio aevo soluto sermone scriptas fuisse commotus est, ut in Adelphorum editione Vindob. 1896 ordine verborum mutato Terentii versus restitueret quales a poeta ipso facti essent.

2) Cf. Aelii Donati comment. ed. Wessner p. 19, $_6$.

τυπον mihi videtur fuisse Ciceronis Oratoris cap. LV, 184: 'at comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic saepe sunt abiecti, ut non numquam vix in eis numerus et versus intellegi possit'. Ad eandem sententiam Priscianus quoque respicit, qui initio libelli de metris Terentii GLK III p. 418 'miror, inquit, quosdam vel abnegare esse in Terentii comoediis metra vel ea quasi arcana quaedam et ab omnibus doctis semota sibi solis esse cognita confirmare. quorum ut vel imperitiae vel arrogantiae vitium effugiamus, breviter de supra dictorum metris exponamus, testimoniis etiam metricorum usuumque approbationibus utentes'. Etiam ex Victorini loco GLK VI, p 78,$_{19}$ similis sententia, contra quam et Priscianus et Rufinus certant, elucet: 'Quantum enim, inquit, ad metrum comicum spectat, scio plurimos adfirmare Terentianas vel maxime fabulas metrum ad disciplinam graecarum comoediarum non custodisse, id est quas Menander, Philemon, Diphilus et ceteri ediderunt'.

Primum iam perscrutabimur, num adnotatio fontium ex Rufini sensu et doctrina recte se habeat omnesque auctores, qui nominibus collati sunt, re vera de mensura Plauti et Terentii comoediarum egerint et in tractatu Rufini excussi sint. Qua in quaestione initium feci ab eis scriptoribus in tractatu ipso collatis, quorum libros adhuc in manibus habemus. Sunt autem hi, Cicero, Victorinus, Terentianus, Quintilianus, Diomedes, Charisius ex maxima parte. Addidi etiam Euanthium.

Atque primus quidem Cicero p. 556,$_{19}$ trimetros traditur versus iambicos Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum senarios dixisse. Sed quamquam Cicero de versibus et metris illorum proprium libellum non scripsit, tamen multis locis

Plauti et Terentii aliorumque eiusdem generis poetarum versiculos contulit neque celavit scire se illos poetas versus scripsisse, sicut de oratore II § 327, ubi de versiculis Terentii locutus est. Etiam loco modo p 6 ex oratore laudato senarios a Cicerone trimetros iambicos nominatos esse confirmatur, ut virum clarissimum auctorem sibi Rufinum suo iure sumpsisse negari nequeat. Etiam in epistulis ad familiares IX, 16, $_4$ de tritis litteratissimorum virorum auribus notandis generibus poetarum, ut discernerent hunc Plauti versum esse, hunc non esse actum est, quo loco Acciani quoque versus commemorantur. Accedit Cornificii ars rhetorica ad Herennium, quam Rufinus, sicut antiqui, Ciceroni tribuit.[1]) Cuius artis libr. II § 35 'ne Ennium, inquit, et ceteros poetas imitemur', quibus verbis versus Enniani secuntur. Sed iam verborum de Cicerone satis est.

Transeamus iam ad Victorinum, saeculi quarti grammaticum, qui in explicatione bis a Rufino citatus est. P. 556, $_{22}$ 'de metris Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum', praeter alia, quae p. 6 adnotavi:

'nostri enim, inquit, in modulandis rhythmis aut metris veteris comoediae scriptores sequi maluerunt, id est Eupolin Cratinum Aristophanem. prologos itaque et primarum scaenarum actus trimetris comprehenderunt, deinde longissimos, id est tetrametros, subdiderunt, qui appellantur quadrati. postea in sequentibus variaverunt: modo enim trimetros, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, id est semipede adiecto vel integro pede iambo vel semipede. haec per medios actus varie: rursus in exitu

1) Cf. p. 568, $_{19}$ 'Cicero ad Herennium in arte sic'; p. 577, $_{21}$ idem Cicero ad Herennium in arte rhetorica de membro sic dicit.

fabularum quadratos, quales diximus in secunda scaena, locaverunt. sed iidem quadrati legitimi, cum sedecim syllabis iuxta ius proprium constare debeant, plerumque inveniuntur viginti aut amplius syllabarum. hinc existimantur metrum non tenuisse nec sua lege composuisse. quod vero ad clausulas, id est minuscula cola, pertinet, quot genera versuum sunt, totidem membra pro clausulis poni possunt et solent in canticis magis quam diverbiis, quae ex trimetro magis subsistunt, collocari, et praecipue apud Plautum et Naevium et Afranium. nam hi maxime ex omnibus membris versuum colis ab his separatis licenter usi reperiuntur in clausulis', et p. 557, $_{19}$ 'idem Victorinus in alio loco de iambo sic dicit, 'Improbatur autem apud tragicos versus ex omnibus iambis compositus. nam quo sit amplior et par tragicae dignitati, interponunt frequentius locis dumtaxat imparibus pedem dactylicorum moras et spondeum. similiter apud comicos laxius spatium datum est. nam et illi loca, quae propria iambo debentur, spondeis occupant dactyloque et anapaesto locis adaeque disparibus. ita dum cotidianum sermonem imitari nituntur, metra vitiant studio, non imperitia, quod frequentius apud nostros quam Graecos invenies. genera autem iambici metri sunt duo. nam ex his alia integra, alia clauda, quae scazonta seu choliamba vocant, inducuntur, quorum differentiam paenultima versus syllaba demonstrabit. nam si brevis contigerit, erit rectum et integrum iambicum ita,

vigoris adde concitum celerem pedem;

sin vero longa, delumbe et claudum, ut est

novitate ductus, non ut inscius legis.

le longa, quae paenultima reperitur, metrum corrumpit. huius repertor Hipponax: nam pro iambo inductus trochaeus contra legem trimetri iambici

metrum innovavit, quod adaeque et ex spondeo contigit'. Quorum alter locus exstat in Marii Victorini arte grammatica GLK VI, p. $78,_{19}$, alter p. $80,_{27}$. Jam ex his locis elucet Victorinum de metris Terentii et Plauti et ceterorum ita egisse, ut Rufino eum hoc loco affere liceret.[1])

Ex Terentiani grammatici et metrici libro, quem composuit de litteris, syllabis, metris, versus 2228—2245 descripsit p $560,_{9}$ sub titulo 'Terentianus de iambis fabularum sic dicit,

Culpatur autem versus in tragoediis
et rarus intrat ex iambis omnibus,
ut ille, contra qui secundo et talibus
spondeon aut quem comparem receperit.
sed qui pedestres fabulas socco premunt,
et quae locuntur sumpta de vita putes,
vitiant iambum tractibus spondiacis
et in secundo et ceteris aeque locis,
fidemque fictis dum procurant fabulis,
in metra peccant arte, non inscitia,
ne sint sonora verba consuetudinis,
paulumque rursus a solutis differant.
magis ista nostri: nam fere Graecis tenax
cura est iambi vel novellis comicis
vel qui in vetusta procluent comoedia.
Aristophanis ingens emicat sollertia,
qui saepe metris multiformibus novus
Archilochon arte est aemulatus musica.'

Sed etiam aliis locis de metris comicorum sive tragi-

1) Etiam ex arte eius, quae ad nos venit, quaeque non tam ars grammatica quam metrica est, vidimus eum saepe de metris tragicorum ét comicorum poetarum scripsisse, quamquam nomen Plauti uno loco et Terentii nusquam exstat. Tales locos reperimus p. $80,_{9}$; $81,_{27}$; $83,_{19}$; $85,_{5}$; $85,_{14}$; $124,_{8}$; $129,_{25}$; $132,_{16}$; $134,_{32}$; $135,_{25}$; $182,_{14}$ et alibi.

corum loquitur sicut v. 2394 sq., ubi de antibaccho, aut v. 2205 sq., ubi de trimetro iambico agitur.

'Quintilianus, inquit Rufinus p. 556,$_{19}$, et trimetros et senarios nominavit', quam adnotationem veram esse confirmat Quintilianus inst. orat. IX, 4, 75, quo loco optime a Christio suppleto trimetrum et senarium promiscue dicere licere testatur. Consuetudinem duplicis illius versus significationis ipse ita secutus est, ut modo trimetrum diceret, sicut IX, 4, 71 (trimetri versus), 75 (trimetri finis), modo senarium, sicut IX, 4, 73 (initium senarii; praecipue senarii) 125 (senariis versibus) 140 (ille comicus aeque senarius).

Diomedis quarti saeculi grammatici sententia de septenariis p. 555,$_5$ ita profertur: Diomedes sic 'Septenarium versum Varro fieri dicit hoc modo, cum ad iambicum trisyllabus pes additur, et fit tale

quid immerentibus noces, quid invides amicis?

similis in Terentio versus est

nam si remittent quippiam Philumenae dolores:

et in Plauto saepius tales reperiuntur'. Quae verba sumpta sunt ex Diomedis arte GLK I p. 515,$_3$. Nonnulla de versibus comicorum et tragicorum a Diomede exposita sunt etiam p. 503,$_{24}$ sq. et 508,$_5$ sq.

In numero scriptorum, quos supra contulimus, referendus est etiam Sosipater Charisius. Locus apud Rufinum p. 555,$_{16}$ nomine addito ('Charisius sic') ex arte grammatica eius descriptus littera tenus idem est atque is, quem ex grammatica Diomedis fluxisse modo exposuimus. Quare dixeris loco Charisiano errore omisso librarium oculis rursus ad locum ex Diomede prolatum declinasse, ut idem bis describeret, praesertim cum in arte Charisii, quae in fine lacunosa est, nihil eiusmodi traditum sit. At quoniam ex titulis, qui conservati sunt (cf. GLK I p. 6)

sicut 'de rhytmo, de metri versificatione, de basi, de pedibus, de metris' a Charisio talia tractata fuisse apparet, et Diomedes ex Charisii arte multa in suam transtulit,[1]) tantum abest, ut locum ex plena illa similitudine corruptum esse eluceat, ut sequatur apud Rufinum l. c. Charisii locum recte esse servatum.

Huic ordini denique etiam Euanthius adscribendus est, cuius loci duo, quos Rufinus ab initio commenti contulit, leguntur in Euanthii de fabula tractatu inserto Donati commentario in Terentium. Alter locus 'Euanthius in commentario Terentii de fabula, hoc est de comoedia sic dicit 'concinna argumento, consuetudini congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro' legitur Donat. rec: Wessner I, p. 17,$_{16}$ sq.; alter 'Veteres etsi ipsi quoque in metris neglegentius [egerunt][2]), iambici versus dumtaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione huius metri, quantum potest, comminuti ad imaginem prosae orationis' Donat. I p. 19.$_{6}$ sq.

Secundo ordine probavi auctores, quorum scripta apud Rufinum cum nominibus afferuntur, scripta ipsa perierunt, Scaurum, Firmianum, Varronem, Caesium Bassum, Sisennam, Asprum, Fl. Caprum, Jubam.

Qu. Terentius Scaurus, divi Hadriani temporibus, sicut Gellius XI, 15,$_{8}$ tradit, grammaticus vel nobilissimus, allatus est apud Rufinum p. 561,$_{2}$ hoc modo: Scaurus id eadem fabula (id est in Pseudolo) sic: 'Nunc iam: iam divisit in duas

1) Cf. L. Jeep, Zur Geschichte der Lehre von den Redeteilen bei den lat. Grammatikern Lpz. 1893 p 60 sq.

2) Vidimus Rufinum codices minoris fidei secutum esse.

syllabas[1])'. De commentario in Pseudolum agi cum ex loco descripto, tum ex verbis, quae p. 560, $_{28}$ leguntur, apparet, unde series nonnullarum Plauti fabularum locorum explicationum, inter quas etiam Scauri explicatio est, initium ita capit: 'Sisenna in commentario Poenuli Plautinae fabulae'. Sequitur autem p. 561, $_{2}$ 'in Pseudolo sic', quod brevius dictum esse pro 'in commentario Pseudoli Plautinae fabulae sic' eamque explicationem etiam ad verba supra citata 'Scaurus in eadem fabula sic' simili modo esse transferendam nemo non videt.

Non ineptum videtur hoc loco lectores etiam ad Scauri artem relegare grammaticam et ad commentarios, quos non modo in Plauti fabulas composuit (cf. Ritschl. Parerga I p. 375), sed etiam in Aeneidem Vergilii atque in Horatii artem poeticam, quem quidem commentarium non omnia carmina complexum esse verisimile puto[2]), ut aliis quoque multis locis occasiones fuisse de metris Terentianis et Plautinis sententiam dicendi appareat.

L. Caecilium Firmianum Lactantium excerptum apud Rufinum habemus p. 564, $_{8}$ sq.; quod excerptum infra descripsi: 'Firmianus ad Probum de metris comoediarum sic dicit, 'Nam quod de metris comoediarum requisisti, et ego scio plurimos existimare Terentianas vel maxime fabulas metrum non habere

---

1) 'Metri causa', quae verba post 'syllabas' in editione Keiliana leguntur, iniuria ex prioribus editionibus receptum est, quamquam in codicibus optimis non traditur.

2) Me nec decimus liber commentarii in artem poeticam, quem grammatici citaverunt, nec quintus liber carminum, id est epodon liber apud Charisium et Diomedem commovebit, ut ultra quintum librum numerare satiras et epistulas et artem poeticam pergam cum Birtio Mus. Rhen. XXXVIII, (1883), p. 199, $_{2}$, inde a libro sexto usque decimum, nisi vestigia enumerationis ultra quintum librum continuantis inveniuntur.

comoediae graecae, id est Menandri Philemonis Diphili et ceterorum, quae trimetris versibus constat. nostri enim veteris comoediae scriptores in modulandis fabulis sequi maluerunt, Eupolin Cratinum Aristophanem. prologos igitur et primarum scaenarum actiones trimetris comprehenderunt, deinde longissimos, id est tetrametros, subdiderunt, qui appellantur quadrati. in consequentibus deinceps variaverunt: modo enim trimetros, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, id est vel semipede adiecto vel integro pede iambo vel sesquipede. Haec per medios actus varie; rursus in exitu fabularum quadratos, quales diximus in secunda scaena, sed iidem quadrati, cum sedecim syllabis constare debeant, tamen plerumque fiunt viginti aut amplius syllabarum. hinc putantur metro carere nec lege ulla contineri'

Sicuti ex huius epistulae ad Probum particula metricae artis studiis Firmianum Lactantium imbutum fuisse elucet, ita ad ea respicit Damasus in epistula ad Hieronymum (epist. 35, $_2$) qui queritur, quod epistulae Lactantii usque ad mille spatia versuum tendantur et raro de dogmate disputent, quo fiat ut et legenti fastidium generet longitudo et si qua brevia sint, scholasticis magis sint apta quam sibi, de m e t r i s et regionum situ et philosophis disputantia.

Locus, quem modo exscripsimus ex Firmiano, tanta similitudine est loco priori p. 7 ex Victorino excerpto, ut primo obtutu alter ex altero videatur expressus esse. Si vero accuratius inspexerimus, nonnulla reperiemus, quae quamquam non re, tamen elocutione ita inter se differant, ut illos duos locos ex eodem fonte haustos esse cognoscamus. Denique Victorinum in memoriam revoco, qui in libello de metris GLK VI, p. 209, $_{11}$: 'Nostra quoque, inquit, memoria Lactantius 'pentameter' inquit et 'tetrameter',

quae verba quam ob rem opusculo Lactantii, quod, sicut Hieronymus de viris illust. cap. 80 dicit, 'Grammaticus' inscriptus erat, attribuere voluerit Teuffelius Litt. Gesch. II^5, p 998, non intellego.

M. Terentius Varro a Rufino ter ita laudatus est, primum p. $555,_{11}$ 'Varro de lingua latina ad Marcellum sic, 'Quare in huiusce modi locis poni oportet notam transversam inter syllabas, frequentius ad extremum versum senarium et similes si pro longa brevem habebunt extremam ut in hoc,

amicus summus meus et popularis Geta'.

Deinde p. $556,_7$: 'Varro in septimo 'Clausulas primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam, ut apud Accium

an haec iam obliti sunt Phryges?

non numquam ab his initium fit ut apud Caecilium

dei boni, quid hoc?

apud Terentium

discrucior animi'.

Tum p. $556,_{14}$ nihilo intermisso continuatur: 'Idem Varro in eodem septimo de lingua latina ad Marcellum sic dicit 'At in extremum senarium totidem semipedibus adiectis fiet comicus quadratus ut hic

heri aliquot adulescentuli coimus in Piraeo'.

Quibus locis ex dedicatione ad Marcellum, quam etiam ad alterum locum pertinere tertius satis docet, dudum perspectum est Varronis libros de sermone latino significari[1]).

---

1) Quia Hieronymus Varronis scriptum de sermone latino ad Marcellum quinque libris constitisse tradit, iam O. Jahnus, Berichte der sächs. Gesellsch. der Wiss. v. II (1850) p. 144 perspexit Rufiniana verba permutanda esse in 'Varro in quarto' et 'Varro in eodem quarto' facili correctura ex VII in IIII. Quae correctura probatur ab A. Wilmannsio, de M. Terentii

Caesii Bassi verba legimus apud Rufinum p. 555, $_{22}$: 'Bassus ad Neronem de iambico sic dicit, 'Iambicus autem, cum pedes etiam dactylici generis adsumat, desinit iambicus videri, nisi percussione ita moderaveris, ut cum pedem supplodes, iambum ferias; ideoque illa loca percussionis non recipiunt alium quam iambum et ei parem tribrachyn, aut alterius exhibuerint metri speciem. quod dico exemplo faciam illustrius. est in Eunucho Terentii statim in prima pagina hic versus trimetrus

exclusit, revocat redeam? non, si me obsecret.

hunc incipe ferire, videberis heroum habere inter manus: ad summam paucis syllabis in postremo mutatis totus erit herous,

exclusit, revocat, redeam? non si mea fiat.

ponam dubium secundo loco pedem, quo propius accedam,

heros Atrides caelitum testor fidem'.

Hoc loco habemus vocem "trimetrus', quam etiam Victorinus p. 209, $_{10}$ Bassi esse testatur: 'contra quem (id est Cornelium Epicadum, qui 'hexameter, inquit, versus') item Caesius Bassus, vir doctus atque

---

Varronis libris grammaticis Berol. 1864 p. 47, qui Varronem de re metrica quarto libro scripti ad Marcellum egisse vidit, cui omnia fragmenta ad rem metricam spectantia attribuit p. 195—203. Et quia illa Jahni correctura facilis probabilisque est, Ritschelio assentiri non poss[illegible] qui Rufini lectionem defendit opusc. III p. 464, cur grammaticum nostrum plus fidei habere quam Hieronymum putet.

Sed etiam titulus libri Varronis a Rufino traditus differt ab illo, qui alibi memoriae proditus est; nam in Hieronymi catalogo et apud alios grammaticos est de sermone latino ad Marcellum, cum et a Rufino et ab Acrone ad Horatii art. poet. 202 laudentur libri de lingua latina ad Marcellum, qua de inscriptione Rufinum Acronemque erravisse verisimile est. (cf. Wilmanns., l. l. p. 47 adn. et Ritschl., opusc. III p. 467.)

eruditus, in libro de metris 'iambicus trimetrus' ait'. Quae vox trimetrus etiam inest in fragmento de metris GLK VI p. 255—72, quod Keilius ib. p. 250 sq. Caesio Basso reddidit, sive opusculum ipsum est, sive excerptum, in quo verbum 'trimetrus' legitur p. 269, $_{8, 9}$. (cf. Keil. l. c. p. 252, qui ostendit eum etiam 'hexametrus' et 'pentametrus' dixisse). Atque ex eo, quod libellum ad Neronem misit, eum aetate illius imperatoris fuisse apparet, quocum congruit schol. ad. Pers. sat. 6, $_1$ tradens eum ardente Vesuvio monte cum villa sua ustum esse. Nam quin idem fuerit atque poeta Caesius Bassus, non habemus, cur dubitemus.

Verba Cornelii Sisennae, quem contra Ritschelii sententiam (v. Parerga I p. 376) non eundem esse atque L. Cornelium Sisennam, historiarum auctorem initio primi saeculi a. Chr. n. florentem, ostenderunt Th. Bergkius Philol. XXIX p. 328, Buechelerus, lat. Dekl. [2] p. 123, legimus apud Rufinum pag. 560, $_{28}$ sq.: 'Sisenna in commentario Poenuli Plautinae fabulae sic 'Halonium Poeni dicunt deum, et producenda syllaba metri gratia, sicut exigit iambus'. in Pseudulo sic 'Malai diaeresis metri causa'. Paucis versibus intermissis litterator Antiochensis pergit: Sisenna in Rudente sic 'Fuit extendit primam syllabam metri gratia'; et postea sic 'habiliore metro usus est, ut solet in mulierum oratione'. postea sic 'Latronem producit metri causa'. in Amphitrione sic 'His quattuor generibus quintum accedit de genere versuum, qui non sunt uniusmodi'. in Captivis sic 'Hic ornatu s litteram metri causa amisit'. in Aulularia sic 'Haec scaena anapaestico metro est. sed concisa sunt, ut non intellegas'. Quibus ex verbis patet eum commentarios scripsisse in Plauti Amphitrionem Aululariam Captivos Poenulum Pseudulum Rudentem.

Atque quia in sex fabulas commentarii eius citantur, pro verisimili sumere possumus Sisennam in omnes Plauti comoedias composuisse commentarios, praesertim cum eius commentarii in primas et in ultimas fabulas Varronianas afferantur.

Atque ego viro docto reddidi nomen Cornelii Sisennae, quamquam codices optimi tradunt 'Cinna Sisenna' vel quod in editione Aldina legitur 'Sisenna Cinna'. Ritschelius Cinnam putavit scriptori deberi, qui 'Sisennam' falso legisset. Qua de causa vir clarissimus nomen 'Cinnae' delevit. Sed quamquam apparet Rufinum hic neque ad Cinnam iuris scriptorem, qui a Pompeio in digestis nominatus est, neque ad Helvium Cinnam poetam neque ad Catulum Cinnam stoicum philosophum, commemoratum in Marci libro *εἰς ἑαυτόν* I, 13 et Hist. Aug. Marc. IV, 3, $_2$, spectavisse, tamen audacius mihi esse videtur nomen totum delere. Tantum abest ex mea sententia, ut ex Sisennae nomine nomen Cinnae ortum sit, ut ex alio nomine ante Sisennam scripto librarii errore Cinnae nomen evaderet[1]). Itaque censeo hanc gravem corruptelam ortam esse ex Sisennae nomine gentili Cornelio, cum librarius ad Sisennam nomen paulo celerius oculis aberraret.

Sic etiam 'Caelius' pro 'Cinna' in editione principe Veneta traditus facile declaratur ex falsa lectione compendii Cornelii. Praeterea Rufinus non modo Fl. Caprum, sed etiam Caesium Bassum et Caecilium Vindicem nominibus gentilibus attulit.

Aemilium Asprum grammaticum, cuius aetatem definire difficile est, ut viri docti hac in re adhuc

1) Commemoro me in transcursu cogitasse de Sinnio quoque Capitone, grammatico aetatis Augusti, qui a Pompeio GLK V p. 110 et a Gellio commemoratus est.

inter se discrepent, nuper Marxius, Prolegomena ad Lucilium p. LXXIV aequalem Probi Berytii esse voluit, quia bis in Probi commentariis in Bucolica allatus est. Quos commentarios non Probi Berytii esse ostendit P. Wessner in libello, qui inscribitur 'Aemilius Asper, ein Beitrag zur röm. Literaturgeschichte', Halle 1905, p. 6—12. Attribuit grammaticum nostrum magna cum probabilitate secundo saeculo exeunti. Exscriptum habemus Asprum in Rufini libello p. 555,$_{1}$ sq., ubi legimus: 'Asper in commentario Terentii sic. 'Hosce versus agere coepisset,

itane patris ais adventum veritum hinc abiisse ad domum;

et deinceps qui secuntur quadrati'. Qui locus cum sine ullo sententiarum conexu a Rufino descriptus sit, demonstrat nullam aliam rem hunc grammaticum commovisse, ut haec conferret, nisi quod h. l. de versibus Terentii actum est.

Flavius Caper, quem iam sub finem secundi saeculi vixisse omnes viri docti inter se consentiunt, a Rufino inductus est p. 556,$_{20}$: 'Flavius Caper in artibus suis trimetros versus iambicos Terentii senarios appellavit', qua ex re vidimus eum iure a grammatico Antiochensi nominatum esse. Sed quaeritur, quid 'in artibus suis' significet. Titulos, qui inveniuntur, Godofredus Keil, de Flavio Capro grammatico quaestionum capita II p. 8 collegit. Sunt hi: 'de latinitate; de lingua latina; liber enucleati sermonis; de dubiis generibus; libri dubii generis; commentarii; artes; de orthographia; libri dubii sermonis'. Atque diem tulerunt nomine Capri duo scripta, alterum de orthographia GLK VII p. 92 sq., alterum GLK VII, p. 107,$_{3}$ de verbis dubiis, qui libri non ipsius Capri sunt, sed ex eius duobus scriptis fluxe-

runt (v. Crist., Philol. XVIII p. 170 et Keil. GL VII, p. 90), quae accuratissime nominat Pompeius GLK V, 175, $_{30}$ 'habes hoc in Capro de lingua latina, non de dubiis generibus'. Ad quae duo scripta omnes tituli, quos supra exscripsi, pertinent. Quos duos libros Rufinus uno nomine 'artes' comprehendit. Sed Beckio, de differentiarum script. lat. p. 12 contendenti illos esse duos titulos unius scripti concedere non possumus.

Jubam, 'qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit' (v. Victorinus GLK VI p 94, $_{6}$) mensuram in Terentii fabulis agnovisse plane per se constat, quia artem metricam composuit, ex qua a Rufino p 561, $_{11}$—564, $_{6}$ quattuor loci exscripti sunt, qui omnes de iambicis versibus agunt, hoc est de trimetro, choliambo, octametro catalectico Boiscio, quamquam neque Terentii nomen neque versus eius comoediarum inest. Cum autem primum excerptum ex quarto libro artis sumptum esse Rufinus indicet, cumque omnia quattuor arcte inter se cohaereant, iure omnia in quartum librum inseruit O. Hense, de Juba artigrapho; Acta societatis philologae Lipsiensis t. IV Lpz. 1875 p. 247—257. Mirandum autem est quod etiam Rufini locum p. 565, $_{1-6}$ 'mensuram esse — Juba' supra p. 4 a nobis descriptum, quem ipsius Rufini esse iam supra intelleximus, totum inter Jubae fragmenta enumeravit, quoniam inter auctores multi nominati sunt, qui post Jubam fuerunt, ut hi a Juba ipso allati esse non possent. De eo autem taceam, quod eum tertio libro adscripsit (p. 246), cum perobscurum sit, quo loco Juba de mensura Terentii et Plauti dixerit.

Tertio ordini attribui eos auctores, quorum scripta a Rufino non exscripta, sed servata sunt. Sunt autem hi, Plinius, Sacerdos, Donatus.

Plinium Ritschelius Parerg. I p. 360 intellegit 'aut librorum de dubio sermone aut naturalis historiae scriptorem, in qua de Plauto poeta loquitur XVIII, 11 (107),[1]) quamquam etiam in Plin. epist. I, 16, $_6$ aliquid est huiusmodi'. Hoc enim epistularum loco Plinius de Pompeio Saturnio epistulas legente: 'Plautum, inquit, vel Terentium metro solutum legi credidi'. Sed cum Plinius in nostro libello inductus sit una cum viris, qui omnes sive de arte grammatica, sive rhetorica, sive metrica scripserunt, veri simile est a Rufino Plinium propter libros de dubio sermone adnotatum esse. At quamquam in reliquiis librorum dubii sermonis VIII a J. W. Beckio collectis nusquam Plinium de versibus Plauti et Terentii sive de illis poetis dicentem invenimus[2]), tamen ex loco naturalis historiae s. l. vidimus eum scivisse Plautum et Terentium fabulas metris composuisse. Sed praeter Plinii maioris librum s. l. ad nos pertinent etiam eius 'studiosi tres' [3]) libri nobis invidia fortunae erepti, 'quibus oratorem, ut Plinius epist. III 5, $_5$ narrat, ab incunabulis instituit et perficit'. Quibus in libris aeque ac Cicero et Quintilianus scriptis rhetoricis de versibus Plauti et Terentii aliquid dicere potuit.

Donatus in enumeratione huius partis libelli

---

1) Locus est hic: 'artoptas Plautus appellat in fabula, quam Aululariam inscripsit, magna ob id concertatione eruditorum, an is versus poetae sit illius'.

2) Plautum et Terentium in reliquiis dubii sermonis saepe inductos reperimus, .ut p 13, $_{27}$ (Beck) 'Plautus in Cistellaria' vel sine ulla fabulae commemoratione p. 6, $_6$ 'quam Plautus dixerit'. At semel totus versus trimeter Terentii allatus est p. 58, $_{18}$ 'idem in Phormione (v. 891) 'sed hinc concedam in angiportum hunc proximum'.

3) de inscriptione cf. Marx, Anonym. ad Herennium p. 102.

una cum Sacerdote nominatus est, cum legamus: 'Sacerdos qui et Donatus'. Qui locus quem rectissime codicibus puto traditum esse, nonnullis viris doctis corruptus videbatur, ut ei mederi conarentur. Jam princeps editio Veneta praebet 'Sacerdos, quod etiam docuit Donatus', quae magis explicatio est quam emendatio. Etiam Ritschelius, Parerg. I p. 360 locum corruptum esse docuit. Voluit 'Sacerdos, qui et Plotius, Donatus'. At nimium recedit hoc propositum a tradita scriptura, quamquam, ut sententiam confirmaret, afferre potuit Hieron. de vir. illust. 80 'Firmianus, qui et Lactantius'. Sed Hieronymi loco habemus duo cognomina, cum in Ritschelii coniectura sint cognomen et gentile, ut loci valde inter se differant. Praeterea Rufini ratio dicendi non singularis est, cum etiam apud alios scriptores nomina similiter coniuncta reperiuntur, ut GLK IV p 552, $_{32}$ 'plerique docent et connexionem esse in declinatione verborum, quam Donatus siluit vel Scaurus'; Anecd. Helv. ed. Hagen GL VIII, 151, $_{24}$: 'isti sunt modi, de quibus tractavit dividende Donatus vel Sergius'. Quae cum ita sint Keilii sententiam probo, qui GL IV, p XXXVI Donati librum cum arte Sacerdotis coniunctum fuisse censet, ut Rufinus hic nihil aliud spectaverit, nisi tertium de metris librum artis grammaticae Sacerdotis. Et talem codicem etiam a Cassiodorio factum esse ex ipsius excerptis GLK VII 216 scimus.[1])

---

1) Locus Cassiodorii hic est: '. . . . codicem legat, quem nostra curiositate formavimus, id est artem Donati, cui de orthographia librum et alium de etymologiis inseruimus, quartum quoque de schematibus Sacerdotis adiunximus', quocum loco compares Cassiod. p 144, $_{7}$ 'codicem, in quo artes Donati cum commentis suis et librum de etymologiis et alium librum Sacerdotis de schematibus . . . collegi'.

Ut 'Donatus qui et Sacerdos' ita 'Donatus vel Sergius' intellegi oportet. Nam quia Sergius commentum in Donati artes scripsit, fieri potuit, ut Donati commentarium cum Sacerdotis in unum coniungeretur, quae res eo confirmatur, quod Cassiodorius GL VII p 144, $_7$ 'Donatus, inquit, cum commentis suis'. Eodem modo etiam elocutionem 'Donatus vel Scaurus' declarandam esse puto, quia Scaurus, cum esset unus de clarissimis grammaticis urbis Romae, cum Donato a posterioribus artigraphis coniungi potuit.[1]) Tali ex codice, qualem Cassiodorius formavit, verisimile est etiam Donati locum de structuris et pedibus oratoriis excussum a Rufino p. 577, $_2$ fluxisse (cf. Keil. GL IV, p. XXXVI—XXXVII).[2])

Ultimo loco eos viros enumeravi, quorum scripta neque a Rufino excussa neque nobis servata sunt, qui sunt hi Vindex, Albinus, Arruntius Celsus, Helenius.

Vindex a Rufino Caecilius nominatus est, quo nomine etiam in codice falso ornatus erat, unde Cassiodorius ea, quae GLK VII p. 206, $_{16}$ sq. legimus, excerpsit, ut, cum alia in altero codice, quo Vindici recte Caesellius nomen datum erat, invenisset (cf. ib. p. 202, $_{18}$) duos Caesellium et Caecilium Vindices discerneret. Quae cum ita sint, fieri non potest, ut apud Rufinum nomen librarii errore corruptum cum Keilio defendamus.

De Caesellio Vindice, cui Cassiodorius, ubi eum

1) Etiam alibi similes elocutiones reperiuntur, ut GLK p. 565, $_2$ 'metamorfoseos dictos, quos Ovidius scripsit libros XV vel Apuleius' et Corp. Jnsc. Rhen. 801 'grammaticus graecus Aemilius Epictetus sive Hedonius'.

2) Sabbadini, studi ital. di filol. class. III p. 339 hoc Rufini loco commotus Donato attribuit proprium libellum de arte rhetorica.

Caecilium nominavit, praenomen Lucium tribuit, omnia diligenter contulit Froehde in supplem. annal. philol., quae Fleckeisenus edidit, vol. XVIII (1892) p. 636. Inde non apparet, num quid grammaticus de mensura in fabulis poetarum latinorum dixerit. Cui explicationi in libro, quem Priscianus GLK II p. 210, $_7$ et 230, $_{11}$ sub 'stromatei' titulo adnotavit, commentarii vel commentariorum lectionum antiquarum sive antiquarum lectionum Gellius (II, 16, $_5$; VI (VII), 2, $_1$; aliis locis) occasionem fuisse aptissimam nemo negabit, praesertim cum non modo ex Gellii et Prisciani, sed etiam ex Charisii testimoniis de antiquissimorum poetarum latinorum usu, inter quos Plautum quoque Charis. p. 195, $_{25}$ reperimus, Caesellium docte egisse constet. Totum autem versum senarium recte descripsit ex Accii Ione (cf. Prisc. II p. 210, $_{12}$), ut quomodo 'de mensura in fabulis Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum' cogitaverit, dubitare nequeamus.

Albinum, quamquam in explicatione commentarii a Rufino non allatus est, librum de re metrica composuisse scimus ex loco Audacis GLK VII, 339, $_1$ 'Albinus in libro, quem de metris scripsit', quibus verbis sententiam Albini de versu hexametro adnectit. At tota Audacis excerptorum pars p. 336, $_{13}$—340, $_5$ congruit cum Maximi Victorini libro de metris et de hexametro versu GLK VI, 208, $_{23}$—213, $_8$ (cf. L. Jeep, Redetheile p. 85—89). Qua ex re patet utrumque ex eodem fonte fluxisse, sed Audacem aliam recensionem fontis eamque ex parte meliorem habuisse quam Victorinum ostendit Keilius GL VI p. XXIV. Atqui in Victorini libello p. 212, $_1$ duo versus Albini de versu hexametro quamquam corrupti afferuntur, ex quibus eum de re metrica eodem fere modo egisse constat quo Terentianum. Cum Albino autem,

cuius tres versus rerum Romanarum I a Prisciano GL II p. 304, $_{20}$ exscripti sunt, nostro grammatico res non est.

Arruntius Celsus ex Prisciani, Charisii, Consentii artibus nobis notus est. In Charisii arte pag. 207, $_{13}$; 212, $_{3}$; 213, $_{18}$; 214, $_{4}$; 222, $_{30}$ loci ex Terentii Phormione excussi sunt cum adnotationibus Celsi. Semel p. 223, $_{11}$ Celsi explicatio ad Hecyram legitur. Sed verba 'hic viciniae' a Celso declarata non in Hecyra, sed in Phormione 95 inveniuntur, ut omnes Arruntii adnotationes ad Phormionem pertineant. (cf. Keil. ad h. l.) Et certum est Celsum eundem esse atque Arruntium Celsum, nam p. 213, $_{18}$ et p. 222, $_{30}$ pleno nomine Arruntii Celsi citatus est, ubi similes ad Phormionem adnotationes exscripti sunt atque ceteris locis. Charisii autem pars p. 190, $_{8}$—224, $_{22}$, in qua Celsum nominatum invenimus, tota ex Romani arte fluxit, (cf. Jeep, l. l. p. 8), qua ex re patet eum ante Julium Romanum fuisse.

Sed nusquam totus Terentii versus cum Celsi explicatione descriptus est. Attamen quamquam Arruntius commentarios in Plautum et Terentium non composuit, qua de re videas Ritschl. Parerg. I pag. 367 sq., nihil est quod dubitemus de Rufini verbis Celsum censuisse Terentii fabulas metris compositas esse. Neque Julius Romanus eum sine nota citavisset, si Terentianas fabulas sermone soluto 'sine mensura' esse putavisset.

Etiam Helenius a Rufino adnotatur inter eos, qui mensuram in fabulis latinis esse iudicabant. Scimus ex Charisio[1]) Helenium Acronem — hunc enim illum Helenium esse patet — commentarios in Te-

1) Locos, qui huc pertinent, apud Froehdium, de C. Julio Romano auctore 1892 p. 642 sq. legas.

rentii Adelphos et Eunuchum attulisse, ut Helenium suo loco esse apud Rufinum nominatum unusquisque concedat. Sed ubi commentarium ad Eunuchum Helenium edidisse Charisius, qui Julium Romanum excerpsit, testatur, GLK I p. 201,$_3$ 'Interea loci Terentius in Eunucho, 'interea loci'; ubi Acron 'quaeritur' inquit, 'quo accentu dici debeat loci', cum de illorum duorum verborum pronuntiatione in prosaria oratione nullam difficultatem esse appareat, agi constat de pronuntiatione versus.

Quaestione de nominibus in priore parte commentarii allatis finita accedimus ad explicationem auctorum, qui in altera parte de compositione et de metris oratorum p. 573,$_{22}$ sq. enumerantur. Quae enumeratio non ut prior in fine, sed in medio commentario inest. Nihilominus magna ex parte index est auctorum, qui hoc in commentario excussi erant, quamquam primum ei viri enumerantur, qui 'de compositione et numeris et pedibus oratoriis, ut Cicero dicit, scripserunt apud Graecos, Thrasymachus, Naucrates, Gorgias, Ephorus, Isocrates, Theodectes, Aristoteles, Theodorus Byzantius, Theophrastus, Hieronymus'. Quam enumerationem totam recte se habere iam ex eis locis, qui ex Ciceronis libris rhetoricis a Rufino exscripti sunt, intellegi potest. Nam p. 574,$_7$ Thrasymachus princeps inveniendi numeri nominatur ex Cic. orat. 175, cui Gorgias Leontinus adiungitur, qui primus invenit 'paria paribus coniuncta et similiter definita, itemque contrariis relata contraria, quae sua sponte cadunt plerumque numerose'. Quo loco v. 17 etiam de Isocrate, Gorgiae discipulo, agitur, quo nemo in eo genere scientius versatus fuisse dicitur, magnus orator et ipse perfectus magister, 'cuius domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi'

(cf. p. 572,$_7$ ex Bruto 32). Eum numeros moderatius temperavisse quam Gorgiam legimus p. 574,$_{16}$ ex Ciceronis orat. 176. Atque Isocratis discipuli Ephorus et Naucrates laudantur p. 570,$_{20}$ ex orat. 172 'orationis faciendae et ornandae auctores locupletissimique ipsi oratores', quorum prior etiam p. 577,$_{13}$ nominatur laudator paeonis aptissimi orationi vel orienti vel mediae secundum Cic. orat. 218, alter orationis numerosae in universum p. 572,$_{28}$ una cum Isocrate ex Cic. de orat. III, 173.

Jam venimus ad Aristotelem, qui 'versum in oratione vetat esse, numerum iubet' (cf. p. 570,$_{24}$ ex Cic. orat. 172). Cuius de pedibus, qui in orationibus praeferendi sint, sententiam ex Rufini commentario perfectam intellegere non possumus, quia hoc tantum ex Ciceronis scriptis excussum est, quod 'iambum et trochaeum frequentem segregat ab oratore' (cf. p. 568,$_{26}$ ex Cic. de orat. III, 182) et quod paeonem ut optimum probat (cf. p. 570,$_7$ ex Cic. de orat. III, 193; p. 557,$_{17}$ ex orat. 214; p. 577,$_{12}$ ex orat. 218). Auditor eius Theodectes, 'in primis politus scriptor atque artifex', aeque atque Aristoteles versum in oratione non probat (cf. p. 570,$_{24}$ ex Cic. orat. 172). Etiam de paeone consentit cum Aristotele, quo de denuo videas locum supra collatum p. 577,$_{11}$. Idem testatur Cicero orat. 194: 'Atque haec, inquit, quae sunt apud Aristotelem, eadem a Theophrasto Theodecteque de paeane dicuntur', unde videmus Theophrastum quoque, item Aristotelis discipulum, de paeane non dissensisse a magistro. Theophrastum autem de numeris oratorum accuratius egisse quam Theodectem intellegimus ex Cic. orat. § 172, quam Rufinus p. 570,$_{26}$ exscripsit. Atque Theophrasti de numeris iudicium invenimus p. 571,$_{28}$ sq. ex Cic. de orat. III, 184—85, qui Theophrastum ait putare orationem, quae quidem

sit polita atque facta quodam modo, non astricte, sed remissius numerosam esse oportere.

In Rufini excerptis Theodorus Byzantius, Socratis aequalis, et Hieronymus peripateticus desiderantur, quorum de priore Cicero tradit orat. 39: 'verborum constructionem et numerum tractasse Thrasymachum Chalcedonium primum et Leontinum Gorgiam, Theodorum inde Byzantium multosque alios, quos *λογοδαιδάλους* appellaverit in Phaedro Socrates', et idem in orat. 40: 'Theodorum visum esse Isocrati praefractiorem, ait, nec satis rotundum'. Theodorum etiam artem rhetoricam scripsisse concludere possumus ex Cic. Brut. 48, ubi audimus Theodorum fuisse in arte subtiliorem, in orationibus autem ieiuniorem, orationes eum scribere aliis coepisse, artem removisse', quod etiam ex Plat. Phaedr. 261 B elucet, ubi Socrates Phaedrum interrogat: *Ἀλλ' ἢ τὰς Νέστορος καὶ Ὀδυσσέως τέχνας μόνον περὶ λόγων ἀκήκοας, ἃς ἐν Ἰλίῳ σχολάζοντες συνεγραψάτην, τῶν δὲ Παλαμήδους ἀνήκοος γέγονας; ΦΑΙ. Καὶ ναὶ μὰ Δί' ἔγωγε τῶν Νέστορος, εἰ μὴ Γοργίαν Νέστορά τινα κατασκευάζεις, ἤ τινα Θρασύμαχόν τε καὶ Θεόδωρον Ὀδυσσέα.* Sicut Theodorus, ita in Rufini commentario Hieronymus deest, quem numeris oratorum studuisse apparet ex Cic. orat. 190: 'Elegit, inquit, ex multis Isocratis libris triginta fortasse versus Hieronymus, Peripateticus in primis nobilis, plerosque senarios, sed etiam anapaestos'. Ergo Rufinus utrumque iure in commentario enumeravit.

Sed etiam de reliquis Graecis, quos de numeris oratorum scripsisse iam ex Rufini excerptis intelleximus, magni momenti loci quidam Ciceronis scriptorum rhetoricorum agunt, sicut de Thrasymacho, quem Tullius orat. 39 tradit primum numeros oratorum tractasse, quorum multa minuta fuissent et

versiculorum similia nimiumque depicta,• quae iam Isocrati displicuissent (orat. 40). Quod de Trasymacho his locis idem etiam de Gorgia pronuntiatur, qui initio numeris intemperantius usus sit, postea minus eis serviverit (orat. 175—76).

Aristotelem quoque numeri oratorii laudatorem apud Ciceronem invenimus locis, quos Rufinus non exscripsit. Eum censuisse necesse esse numerum adhibere, ne infinite ferretur ut flumen oratio, Cicero memoriae tradit orat. 228. At eius de numeris iudicium, si locos a Rufino excussos praetereamus, praecipue inest in orat. 192—93, ubi Cicero Aristotelem ait iudicasse heroum numerum grandiorem, quam desideraret soluta oratio, iambum nimis e vulgari esse sermone, trochaeum autem dignitatem non habere, ut hi pedes continuati essent evitandi.

Haec sunt, quae in Ciceronis scriptis rhetoricis de illorum Graecorum disciplina inveni.

Postquam omnes viros doctos, quos apud Graecos de numeris scripsisse ex auctoritate Ciceronis Rufinus dicit, re vera in Ciceronis scriptis inesse vidimus, perscrutabimur, num ei, qui latine de numeris egisse ab eodem dicuntur, recti adnotati sint. Hic quoque initium faciemus ab eis auctoribus, quorum libri diem tulerunt. Sunt autem hic: Cicero, Quintilianus, Terentianus, Probus, Charisius, Diomedes.

C i c e r o n i s verba vicies semel a grammatico exarata sunt, omnia ex scriptis eius rhetoricis, potissimum ex Oratore, ex quo tredecim loci sumpti sunt, ex libris de oratore quinque, ex Bruto unus, duo ex Cornificii arte ad Herennium, quam Ciceroni grammaticum Antiochensem tribuere supra vidimus. Et quoniam Ciceronis libri rhetorici adhuc praesto sunt, constituere possumus, quibus locis de numeris oratorum egerit. Dixit enim in Oratore de pedibus

et numeris §§ 149—236; in libris de oratore III, 173—199; in Bruto 8,33—34. Sed Cornificius in arte ad Herennium adnotavit aliqua IV, 32,44, quem locum Rufinus p. 568, $_{19}$ descripsit hoc modo: 'Ὑπέρβατον huius modi transiectio, quae rem non reddit obscuram, multum poterit ad continuationes, de quibus ante dictum est; in quibus oportet verba sicuti ad poeticum exsturere numerum, ut perfecte et perpolitissime possint esse absolutae'. Et de membris Cornificius egit IV, 19,26, quae verba a Rufino p. 577, $_{21}$ sq. bene descripta erant, ut paucula inde artis ad Herennium missae corrigerentur. Qui locus hic est: 'Item Cicero ad Herennium in arte rhetorica de membro, id est *περὶ κώλου*, sic dicit, 'Membrum orationis appellatur res breviter absoluta sine totius sententiae demonstratione, quae denuo alio membro orationis excipitur, hoc pacto, 'et inimico proderas', id est unum, quod appellamus membrum: deinde hoc excipiatur oportet altero, 'et amicum laedebas'. ex duobus membris haec exornatio potest constare; sed commodissima et absolutissima est, quae ex tribus constat hoc pacto, 'et inimico proderas, et amicum laedebas et tibi non consulebas': item 'nec rei publicae consuluisti nec amicis profuisti nec inimicis restitisti'.[1])

At auctorem ad Herennium de pedibus et numeris oratoriis non tam egisse quam exemplis docuisse magna sagacitate Marxius, Prolegomena p. 100 perspexit. Nam in clausulis periodorum eius partis unum posuit ditrochaeum, ut in parte de membris supra collata 'consulebas' et 'restitisti'.

Ex Quintiliani institutione oratoria tres loci

1) Hoc enim, quod cod. B commendat, necesse est legamus pro 'restisti'.

in commentario nostro reperiuntur, primus p. 568, $_4$: 'Quintilianus in arte de numeris et structura Demosthenis sic dicit. 'Nam *quo fit, ut Demosthenis severa videatur compositio *τοῖς ϑεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις*, et illa, quae ab uno, quod sciam, Bruto minus probatur, ceteris placet *κἂν μήπω βάλλῃ μηδὲ τοξεύῃ*', qui locus in Quintiliani exstat inst IX, 4,63, ubi priora verba leguntur 'namque eo fit, ut, cum Demosthenis severa videatur compositio',[1]) alter p. 568, $_7$: 'idemin alio (IX, 4,73) 'Talia sunt Demosthenis *πᾶσι καὶ πάσαις* et *πᾶσιν ὑμῖν*, et totum paene principium'; tertius p. 568, $_9$; 'in alio loco (IX, 4,97) sic 'Est et dochmius, qui fit ex bacchio et iambo vel ex iambo et cretico, stabilis in clausulis et severus: spondeus quoque, quo plurimum est Demosthenes usus'. Hanc quoque Quintiliani sententiam non ad finem exscripsit. Sed iam hisce ex locis elucet Quintilianum iure a Rufino enumeratum esse, quod etiam clarius fit, si eius institutionem oratoriam inspexerimus, cuius caput IX, 4 est de compositione, quam hoc modo definit IX, 4,22: 'in omni compositione tria sunt genera necessaria: ordo, iunctura, numerus'. Et numerum pertractavit § 45 sq., quamquam etiam alibi non negavit numerum in orationibus esse sicut X, 1,70.

Terentiani versus, quibus de numeris oratorum aliquid pronuntiat, exstant apud Rufinum p. 575, $_2$: 'Terentianus de cretico, hoc est de amphimacro pede, sic dicit;

---

1) Prior corruptela 'nam quo' facile ex Quintiliani 'namque eo' nasci potuit. Atque omissum verbum 'cum' ea re excusatur, quod Rufinus apodosin, quae particula 'ut' inducitur, non exscripsit. Est enim haec, 'ut carpant Ciceronem in his 'familiaris coeperat esse 'balneatori' et non minus dura 'archipiratae'.

„optimus pes et melodis et pedestri gloriae.
„plurimum orantis decebit, quando paene in ultimo
„obtinet sedem beatam, terminet si clausulam.
„dactylus spondeus imam nec trochaeum respuo.
„bacchios utrosque fugito, nec refellas tribrachyn.
„nam solet longam trochaeus solvere in duas breves;
„unde et appellant trochaeum, quem vocamus tribrachyn.
„plenius tractatur istud arte prosa rhetorum'.

Qui versus nobis traditi sunt carminis Terentiani de metris vv. 1439—47. Quos si cum versibus a Rufino exscriptis comparaveris, intelleges eos ex alio codice fluxisse quam ex Bobiensi, qui postquam Mediolani a 1497 editus est, evanuit. v. 1439 enim pro 'pedestri gloriae' codices Rufini praebent 'pedestris gloriae', quod librarii errore ortum esse luce clarius est ex antecedente 'melodis'. At v. 1443 codices Rufini 'bacchios' commendant, cum apud Terentianum legamus 'bacchicos'. Rufini lectionem praeferendam esse ex ea re apparet, quod ille pes a metricis latinis semper 'bacchius', appellatur, nunquam 'bacchicus', quod adiectivum semper substantivum disiderat, ut apud Graecos βακχεῖος pedem significat, βακχικός autem vocem nusqum pro pede bacchio inveni. Ergo ex Rufini loco versus Terentiani corrigendus est. Omitto eiusdem Terentiani versus lectionem ‚repellas' pro Rufini 'refellas', sed moneo ordinem versuum permutatum esse, cum Terentianus versum 1446 ante 1444 positum habeat, qua re interrumpitur tractatus de tribrachy pede. Hic quoque Rufini ordinem meliorem esse censeo eumque in emendando Terentiani carmine commendo,[1]) praesertim cum

1) Jam Brissaeus, cum a. 1531 Terentiani libros ederet, Rufinum secutus est.

Rufini codices multo vetustiores sunt, quam editiones Terentiani, quamqum etiam multo melius poneretur post v. 1447, quem Rufinus non excussit.

De Probo breviter agam. Neque enim incertum est, utrum Valerius Probus, celeberrimus ille grammaticus sit an iunior iste grammatista, cuius sordida opera a Keilio in quarto volumine grammaticorum latinorum edita sunt.

Probus a Rufino non modo inter scriptores nominatus est qui mensuram esse in fabulis Terentii et Plauti et aliorum comicorum et tragicorum latinorum putabant p. 565, $_5$, sed etiam inter scriptores, quos Rufinus de numeris oratoriis egisse dicit p. 573, $_{26}$. Ipsum autem descripsit p. 577,$_8$ hoc modo: 'Probus de numeris oratioriis sic dicit, 'Trochaeus et paeon tertius faciet illam structuram Tullio perculiarem 'esse videatur'. Jnde patet a Rufino iuniorem Probum lectum esse, qui sub titulo Catholica a Sacerdote artis particulam furatus est. Nam locus a Rufino adnotatus desumptus est ex illorum Probi iunioris Catholicorum fine GLK IV, p. 42, $_{10}$, quo etiam ea, quae Sacerdos de structura GLK VI, p. 492, $_{25}$ sq. scripsit, in sua transtulit.[1])

Quae cum ita sint, nemo non concedet eundem Probum iuniorem esse, quem Rufinus superiore loco p. 565, $_5$ laudavit, quamquam in frustulis illis nomine Rufini exornatis nihil illius adnotatum est. Plane sane constat Valerium Probum mensuram in fabulis comicorum et tragicorum latinorum esse iudicasse. Sed quoniam posteriore loco p. 573, $_{22}$, quo numeri oratorii auctores Rufini enumerantur, paene eosdem nominatos, qui supra appellati sunt, vidimus, priore

1) Grammaticos Probi Catholica adhibuisse in tractandis structuris oratoriis etiam ex fragmentis Bobiensibus GLK VI p. 628, $_{24}$ elucet, ubi Probi verba cum nomine ipsius afferuntur.

loco alterum Probum laudatum esse, atque posteriore non verisimile est. In Probi Catholicis de mensura in fabulis latinis adhibita nihil commemoratur, sed exscripti sunt versus, ex quibus patet eum metrum in Terentii fabulis sensisse. Nam quamquam interdum verba versuum alio exhibet ordine, quam codices Terentii, qui ad aetatem nostram venerunt, tamen metra versuum non sunt turbata, ut exemplum afferam p. 24, $_{24}$

étiam inde abiens púerum conveni Chremis

ubi Terentii codices manu scripti, quos habemus praebent;

étiam puerum inde ábiens conveni Chremis.

Sed in exscribendis versibus aliis codicibus usus est quam qui diem tulerunt, quod praecipue tribus locis declaratur. Nam p. 16, $_{12}$ exscripsit versum Terent. Andr. 798 hoc modo:

quam honeste in patria pauper vivere,

ubi codices nostri optimi tradunt: 'quam in patria honeste pauper viveret', quo quidem versu etiam codd. Victorianus, Riccardianus, Decurtatus praebent 'vivere'. Priscianus quoque GLK III p. 99, $_2$ hunc versum eodem modo tradit, quo modo Probus. Alter locus est p. 23, $_{26}$ 'ut gracilae sient', cum in Eunucho 314 legamus 'ut graciles sient'. Iam Eugraphius ad hunc versum adnotat: 'legitur et gracilae, ut declinaverit Terentius 'haec gracila'. Et tertius versus invenitur p. 25, $_{32}$: 'huius anuis causa, opinor, quae erat mortua', ubi codices tradunt 'eius anuis', cum etiam apud Charisium GLK I, p. 54 hic versus inducatur verbis 'huius anuis'.

Quod ad partem Probi catholicorum de structura pertinet, quamquam eam in fine fere libri de metris exspectaveris, ex ipso Sacerdote scimus suo eam loco esse. Nam ex initio libri tertii Sacerdotis

artis certiores facti sumus eum libros singulatim edidisse (cf. L. Jeep, Redetheile p. 73). Quorum librorum primus erat 'de institutis artis grammaticae', alter 'de nominum verborumque ratione nec non etiam de structurarum compositionibus', tertius 'de metris'. Atque cum grammaticus ipse testetur, dissertationem de structura suo loco esse, cumque p. 492, $_{25}$ legamus Sacerdotem antea de pedibus in libro primo egisse,[1]) in hoc libro, in quo de institutis artis grammaticae agitur, etiam de pedibus actum fuisse necesse est. Quod apud grammaticos latinos re vera ita fuisse docet nos Donatus arte maiore, ubi primum agitur de voce, de littera, de syllaba, de pedibus, de tonis, de posituris, deinde de octo partibus orationis, postremo de vitiis et virtutibus oratoriis.[2]). At primus liber Sacerdotis turbatus est atque lacunosus (cf. L. Jeep l. l. p. 74). Initium libri deest totum, quia duo quaterniones exordii perierunt (cf. Keil., GL VI, p. 417). Qua in parte tractatum infuisse de pedibus ex Donati comparatione verisimillimum est. Quae sententia ea re augetur, quod Donatus, cum artem suam scriberet, Sacerdotem notum habebat. Nam Sacerdotem suo

1) Locus hic est: 'Quoniam igitur de pedibus disyllabis et trisyllabis nec non et quattuor syllabarum in primo docui libro'. Similis locus est p. 498, $_{18}$: 'Trisyllabi pedes sunt octo, ideo quoniam tres syllabae octo schemata habent. sed unde traxerint nomen docebo sine exemplis, quoniam in primo libro explicabiliter demonstravi.

2) Neque me fugit codicum recentiorum alius ordo. Nam codd. Berolinensis Diezianus 66, Parisinus Sangermanensis 1180, Venetus Marcianus class. XIII, 66 particulam 'de voce — de posituris' aut totam aut partem arti minori attribuunt, cum alii eam cum parte 'de barbarismo — de tropis' in fine maioris artis collocent, ut Parisinus 7490, Sangallensis 855, Sangallensis 877. Nonnunquam pars 'de voce — de posituris' prima ars nuncupatur, ut a Prisciano GL III p. 414, $_{21}$.

nomine in exemplis uti solere docet nos exemplum septimi casus GLK VI, 447, $_{18}$ 'Sacerdote docente', quem morem etiam apud alios grammaticos reperimus, ut apud Priscianum, cuius principalem locum in adnotatione infra attuli.[1]) Posteriores autem grammatici locos exemplis non permutatis exscripserunt, ut adhuc nonnullis locis perspicere facile possimus, unde doctrina eorum initium fecerit. Ita exemplum 'sacerdos' Donatus praebet in artis maioris parte de pedibus GLK IV, p. 370, $_{22}$ 'epitritus primus ex prima brevi et tribus longis temporum septem, ut 'sacerdotes', et communium generum exemplum p. 375, $_{19}$ 'hic et haec sacerdos', quod etiam et in arte minori p. 355, $_{16}$, et apud Diomedem GLK I p. 301, $_{10}$ et apud Priscianum GL II p. 141, $_{12}$ legitur. Dositheos quoque GLK VII, p. 393, $_{12}$ exemplum ex Sacerdotis arte exhibet, cum scribat 'studente Sacerdote', quae verba etiam in linguam graecam vertit hoc modo: *σπουδάζοντος Σακέρδωτος*. Id non casu factum esse cognoscimus ex eo, quod de communibus generibus alii grammatici 'sacerdotem' non afferunt, sed Charisius GLK I p. 17, $_{12}$ 'hic et haec canis' adnotavit et Diomedes GLK I p. 301, $_{10}$ 'hic et haec homo'. Ergo dubitari non potest, quin Donatus in tractatu de pedibus Sacerdotem ipsum vel alium, qui inde hausit, adhibuerit. Necesse autem est eum locum fluxisse ex prima Sacerdotis libri deperditi parte, quia in

1) GLK II, p. 186, $_{23}$—187, $_{4}$ haec exempla leguntur: 'ego Priscianus scribo, tu Priscianus vel Prisciane scribis, ille Priscianus scribit, mei Prisciani eges, tui Prisciani egeo, illius Prisciani eget; mihi Prisciano das, tibi Prisciano do, illi Prisciano placet; me Priscianum videt, te Priscianum video, illum Priscianum videt; similiter ablativus tribus adiungitur personis: a me Prisciano accipis, a te Prisciano accipio, ab illo Prisciano accipit'. vide etiam GLK II, p. 79, $_{9}$; 414, $_{19}$; 448, $_{23}$; III, p. 12, $_{15}$; 166, $_{25}$; 203, $_{7}$; 210, $_{12}$; $_{18}$; 211, $_{5}$; $_{8}$; $_{9}$; $_{21}$.

tertio libro Sacerdos de pedibus sine exemplis egit, id quod ipse GLK VI p. 498,$_{19}$ affirmat hisce verbis 'sed unde [trisyllabi pedes] traxerint nomen, docebo sine exemplis, quoniam in primo libro explicabiliter demonstravi'.

Itaque quod Sacerdos p. 492,$_{25}$ de pedibus indicat, recte se habet, sed quod Probus p. 42,$_{10}$, stulte id ab illo et sine ratione ex Sacerdote descriptum est.

Charisii locus a Rufino exaratus est p. 572,$_{18}$: 'Flavius Sosipater Charisius de numeris sic dicit 'Bacchiacum metrum est tale,

bacchare, laetare, praesente Frontone.

hoc mihi videtur ad prosam convenire. et sane multis pedibus in oratione utimur, licet stulti putent liberum a vinculis pedum sermonem prosae esse debere'.

Quae verba a Rufino descripta nunc in Charisii arte non leguntur, quoniam cum eius exitu capita de re metrica, de qua a Charisio actum fuisse tituli servati 'de rhythmo, de metri versificatione, de basi, de pedibus, de versibus, de metris' GLK I, p. 6, IX—XIV docent, abscondita sunt. Sed servata sunt apud Diomedem GLK I p. 513,$_{29-33}$, neque dubium esse potest, quin, sicut iam simili loco demonstravimus, etiam hic Diomedes Charisii verba descripserit. Rufinus igitur verba supra collata rectè Charisio attribuit.

Diomedis verba a Rufino descripta invenimus p. 568,$_{12}$: 'Diomedes sic dicit in libro II artis suae, 'Igitur spondeus e duabus syllabis longis aptus est clausulis, qualibus maxime Demosthenes utitur, *πᾶσι καὶ πάσαις καὶ πᾶσιν ὑμῖν*. habet enim graves sonos finemque sensus et clausulae firmas sedes constituit, ut 'rei publicae causa' et 'arma sumpsi'

et 'esse pro nobis'. gravior est autem longa syllaba praecedente quam brevi: aliter enim sonat 'arma sumpsi', aliter 'esse pro nobis'. Haec quidem verba legimus adhuc apud Diomedem GLK I p. 469,$_{3-8}$.

Diomedes autem a Quintiliano l. c. dependet, nam verba 'qualibus maxime Demosthenes utitur, *πᾶσι καὶ πάσαις καὶ πᾶσιν ὑμῖν*' respondent alteri Quintiliani loco, quem Rufinus descripsit. Sed Quintilianum redolent etiam alia, quae apud Diomedem h. l. leguntur, quamquam paululum sunt ab eo commutata. Sic 'igitur spondeus e duabus syllabis longis aptus est clausulis' Quintiliani sententiae respondet IX, 4,97, quo loco 'spondeus quoque, inquit, quo plurimum est Demosthenes usus'. Neque minus patet exemplum 'esse pro nobis' apud Diomedem Quintiliani esse, qui id l. c. § 99 contulit. Etiam cetera Diomedis clausularum exempla 'arma sumpsi', 'rei publicae causa' nihil esse nisi Quintilianea ex l. c. § 97 'criminis causa' et ex § 99 'armis fui' in Diomedis usum transmutata negare nequimus.

Quae sententia eo magis mihi probatur, quoniam Diomedes in secundo suae artis libro neque nimio spatio a nostro loco disiunctos alios ipsius noni Quintiliani libri locos item est secutus. Atque prior legitur hoc modo p. 443,$_{3}$ 'schemata, quae latine figurae vocantur, sicut nomine ipso patet, conformationes sunt quaedam sententiae remotae a communi *hae, ut Quintilianus existimat, adeo tropis ipsa rei natura coniuncta sunt a quibusdam troporum nomen acceperat, sive quod formant orationem sive quod vertunt', quocum loco velim conferas Quintiliani IX, 1,1 'cum est proximo libro de tropis dictum, sequitur pertinens ad figuras, quae *σχήματα* graece vocantur, locos ipsa rei natura coniunctos superiori. nam plerique has tropos esse existimaverunt, quia

sive ex hoc duxerint nomen, quod sint formati quodam modo, sive ex eo, quod vertant orationem' et ibid. § 4 'figura, sicut nomine ipso patet, conformatio quaedam orationis remota a communi et primum se offerente ratione', qui locus ita convenit cum Diomede, ut inde Keilius apud Diomedem lacunam esse recte iudicaverit. Alterum autem locum apud Diomedem reperimus p. 456, $_{29}$, quo loco tropi definitionem 'tropus est sermo a naturali et principali significatione translatus ad aliam exornandae orationis gratia' auctore Quintiliano addito verbum de verbo iste grammaticus expressit.

Victorini verba apud Rufinum p. 573, $_{18}$ exstant, qui: 'Victorinus, inquit, de compositione sic dicit: Creticum, qui est ex longa et brevi et longa, si sequatur spondeus vel trochaeus, bonam compositionem facere dicunt, 'quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?' duo extremi pedes sunt creticus et spondeus.' In arte grammatica Victorini adhuc conservata ille locus desideratur, quae res miri nihil habet, quia illa verba ex arte rhetorica exscripta esse videntur. Et re vera Victorinum rei rhetoricae operam dedisse scimus ex Hieronym. de vir. illust. 101, ubi: 'Victorinus, inquit, natione Afer, Romae sub Constantino principe rhetoricam docuit', et ex prologo commentariorum in epistolam ad Galatas, ubi dicit 'non quia ignorem Caium Marium Victorinum, qui Romae me puero rhetoricam docuit'. Adhuc exstat Victorini expositio in Ciceronis libros de inventione, in qua quidem neque locum a Rufino excerptum neque quicquam de numeris oratoriis inveni. Probatur autem hac quoque expositione Victorinum libros rhetoricos composuisse, unde Rufinus locum supra collatum desumpsit. Quo in libro a Rufino lecto, cuius ne titulus quidem ad

nos venit, eum accuratius numerum oratorum tractavisse ex Rufini verbis ad Victorinum spectantibus 'idem multa dicit' verisimile est.

Dixeris Victoriniana, quae Rufinus contulit, in lacuna Victorini artis GLK VI p. 31, $_{16}$ fuise, qua lacuna non pauca excidisse Ludovico Jeepio, Redetheile p. 83 sq. verisimile visum est, quia Victorini artem cum Aphthonii libro casu quodam coniunctam esse putavit postrema illius artis parte eaque maxima et initio artis metricae Aphthonii abscissis. At quoniam iam Victorini nomine omnia ex Aphthonio exhausta, quae Rufinus adnotavit, ornata sunt, Jeepii sententiam probare nequimus.

Quis Victor fuerit, quem Rufinus p. 573, $_{26}$ nominavit, Buechelerus Mus. Rhen. XXXVI, 330 ex Anthol. Palat. IX, 711 concludendum esse putavit. Quo loco legimus hunc Zenobii distichon:

αὐτὴν γραμματικὴν ὁ ζωγράφος ἤθελε γράψαι,
Βίκτορα δὲ γράψας τὸν σκοπὸν εἶπεν ἔχω.

Eundum esse doctissimus vir iudicavit, quem Priscianus GLK II, p. 14, $_{12}$ attulit, ut duplicem i pro i consonanti defenderet, 'quod Caesari doctissimo artis grammaticae placitum a Victore quoque in arte grammatica de syllabis comprobaretur'. Sed Victoris nomen in Prisciani codicibus manu scriptis non traditum est, sed ex 'auctore' emendatum, neque Bondamum Variarum lectionum l. II p. 307 fugit legendum esse 'Victorinum', quoniam locus ad Victorini artem grammaticam GLK VI p. 27, $_{9}$ pertinet, qua in paragrapho 'de syllabis' 'octavo, inquit grammaticus, si excipitur ab i littera duplicata, ut Troiia, aiio, Graiis, Aiiax'. Neque dubito, quin Zenobius Victorem quendam significaverit, qui nisi ipse peregrinus artem grammaticam graece scripsit. Quae cum ita sint facere non possum, quin a Rufino, cum

Victorem inter eos enumeraverit, qui de numero oratorio latine scripserunt, significatum putem esse C. Julium Victorem. Cuius artem rhetoricam subscriptione instructam 'Explicit ars rhetorica C. Julii Victoris feliciter Hermagorae, Ciceronis, Quintiliani, Aquili, Marcomanni, Taciani' optime legimus in Halmii praeclara Rhetorum latinorum minorum editione inde a pagina 370. In vicesimo autem capite, quod est de elocutione, p. $433,_{7}$ huius editionis: 'Quidam etiam, inquit, hique praecipui oratores etiam pedes observandos censuerunt, quos et poetae sequuntur, dum ne in versum aut in partem versus incidamus, id enim maximum vitium est. Cum per totam orationem, tum praecipue in conclusionibus servandus est ordo verborum, moderate in exordio, in media parte leniter, ita ut magis ad numerum tendat, quam ipsa numerosa sit': incipiendum esse longis syllabis potius quam brevibus, ut exordio apti sint et dactylus et spondeus et paeon primus, concludendum aut geminato cretico aut cretico, quem sequantur vel spondeus vel trochaeus vel iambus. Etiam paeonem primum, cui spondeus supersit, et paeonem posteriorem, quem una syllaba sequatur, claudere sententiam posse. Sed cavendum esse, ne creticus pes saepius frequentetur.

Neque repugnat nostrae sententiae aetas Victoris. Nam dudum inter viros doctos constat eum fuisse rhetorem quarti saeculi exeuntis, ut nihil nos impediat, quin hunc a Rufino spectatum esse putemus, sicut Rufinus etiam Victorino aequali usus est.

Restant auctores, quorum libri a Rufino non excussi sunt, ipsi perierunt, Eusebius, Varro, Servius.

Eusebius cum de numeris oratorum scripsisse dicatur, eum fuisse rhetorem verisimile videtur. Ex pluribus igitur unus aptus est Eusebius, qui hic a

nobis afferatur, in Macrobii Satur. I, 24,$_{14}$ a Symmacho nominatus, qui Symmachus: 'Eusebio autem, inquit, oratorum eloquentissimo, non praeripio de oratoria apud Maronem arte tractatum, quem et doctrina et docendi usu melius exsequetur'. Quo ex loco elucet non solum eum fuisse virum dissertissimum (cf. Macrob. Sat. VII, 9,27), sed etiam rhetoricae magistrum. Et eum re vera de arte rhetorica Virgilii, quamquam oratio eius abscondita est, locutum esse intellegimus ex Macrob. Sat. V, 1,1: 'post haec cum paulisper Eusebius quievisset, omnes inter se consono murmure Vergilium non minus oratorem quam poetam habendum pronuntiabant, in quo et tanta orandi disciplina et tam diligens observatio rhetoricae artis ostenderetur'. Et cum ad observationem rhetoricae artis etiam scientia numeri oratorii opus sit, dubitandum non est, quin Eusebius ille a Rufino enumeretur. Sed Janii opinio in editione Macrobii p. XXX eum fortasse esse Eusebium Alexandrinum rhetorem, qui anno p. Chr. n. 354 iussu imperatoris Galli occisus est, quamquam non est improbabilis, tamen certa non est.

Varronem quoque inter auctores de numeris oratorum nominat Rufinus, quamquam nihil sibi ex scriptis eius sumpsit. Sed eum has res tractavisse versimile est ex ea re, quod Diomedem in ea parte artis, quae inscribitur 'de qualitate structurae', GLK I p. 471,$_{30}$ Varronem secutum esse videri perspexit Usenerus, Sitzungsber. der k. b. Akad. der Wiss. zu München 1892 p. 642 adn. 3. Cui opinioni fidem addit ea res, quod in illo tractatu et Cato et Antonius orator appellantur (cf. Norden, Antike Kunstprosa p. 929 adn. 2). Sed quaeritur quo in scripto Varro de numero oratorio egerit. Primo loco relegamur ad eius rhetoricorum libros a Prisciano GL II p. 489,$_{2}$

citatos, in quibus fieri potuit, ut de clausulis aeque ac Cicero et Quintilianus ageret, si modo ab eo scripti erant, qua de re dubitavit Ritschelius opusc. III p. 357, qui Rufini testimonium refert ad disciplinarum librum de rhetorica l. l. p. 381. Rufinum autem verisimile est libros de sermone latino ad Marcellum cogitasse, quia in priore commentario ex his libris nonnulla in suum traduxit. Et Varronem re vera in quarto libro de sermone latino etiam numeros oratorios tractavisse Wilmanns, de M. Terentii Varronis libris grammaticis p. 72 ex ea re conclusit, quod in conscribendis libris de sermone latino Ephori περὶ λέξεως et Theophrasti libros, in quibus de numeris oratoriis egerat, consuluit et quod opus ipsum simile est libris περὶ λέξεως, qui rhetoricae partem de elocutione pertractabant.

Ultimo loco inter eos, qui latine de numeris oratorum scripserunt, a Rufino Servius nominatus est. Hunc ab interpolatore monacho haud dubie additum esse Lucianus Muellerus, de re metr. [2]p. 151 contendit. Sed cum omnes auctores uno Cinna excepto, quod nomen ex librarii errore corruptum esse supra p. 28 vidimus, recte a Rufino citati sint, Muelleri sententia verisimilis non est. Primum putabam a Rufino de illo Servio cogitatum esse, cuius Vergilii commenta nobis conservata sunt. Sed frustra in eo inquisivi. Etiam praeceptor meus Ludovicus Jeep, hisce rebus maxime imbutus, a me interrogatus a Dittmanno doctissimo singularis liberalitatis viro Gottingensi, quem indices ad Servii commenta in Vergilium ab Hageno incohatos editurum audiveram, nuper se ait, instructum esse in Hageni indicibus nihil de numero oratorio legi neque Dittmannum ipsum quicquam de ea re in commentariis Servii invenisse. Neque in commentariis a Servio in

artem Donati scriptis quidquam de numeris et pedibus oratoriis inest, quoniam in Donati arte numeri oratorii pertractati non sunt. Sed restant GLK VII, p. 537 excerpta ex arte grammatica Sergii. Servata sunt codice olim Bobiensi nunc Vindobonensi 16, primum edita in analectis grammaticis ab Eichenfeldio et Endlichero curatis Vindobonae 1837 p. 197. In titulis, de quibus Sergius tractavisse dicitur, sunt 'clausulae' quoque, quam partem artis fuisse de compositione numerosa oratorum scimus ex aliis artis scriptoribus, ut exempli causa afferam Victorinum GLK VI, p. 192, $_5$, qui ad quaestionem, quid sit clausula, respondet: 'compositio plausibilis structurae exitu terminata'. Et quoniam nominum formas Sergius et Servius sine ullo discrimine in usu fuisse constat, qua de re conferas Keil. GL IV p. L II, non negaverim hic vestigia artis illius latere, qua de Rufinus l. c. cogitavit.

Reliquum est, ut de Pompeio Messalino agam, quem Rufinus quamquam in enumeratione auctorum numeri oratorii non nominavit, tamen excerpsit p. 575, $_{12}$ in explicatione, ubi: 'Pompeius Messalinus, inquit, de pedibus et numeris oratorum sic dicit, 'Cicero spondeum incisis idoneum putat, quia, ut ait, paucitatem pedum gravitate sua et tarditate compensat, dochmium aptum quovis loco esse, dum semel ponatur, quoniam continuatus numerum asperum efficiat; dichoreum quoque praeclare cadere: sed palmam de omnibus cretico tribuit'. idem de Sallustiana compositione sive de numero et structura sic dicit, 'Nunc, si videtur, Sallustianae periodi numeros inspiciamus: 'res popu' dactylus, 'li Romani Marco' tres spondei, 'Lepido' anapaestus, 'Quinto Catulo' spondeus et anapaestus, 'consulibus' paeon primus, 'ac deinde' dichoreus sive ditrochaeus, 'militi'

dactylus, 'aet domi' creticus, 'gestas' spondeus, 'composui' choriambus ex longa et brevi et brevi et longa'.

Hoc historiarum Sallustii exordium, quod invenies in Sallusti reliquiis a Maurenbrechero collectis Lpz. 1891 p. 3, nobis etiam a Prisciano GL III p. $73,_{10}$ traditum est, ubi ultimum Sallustii verbum 'composui' est omissum. Sed cum finis huius periodi a Prisciano etiam III p. $64,_{19}$ cum voce 'composui' descriptus sit, sequitur, ut hic grammaticus priore loco neglegenter scripserit. Praeterea a Prisciano ibidem pro 'militiae et domi' scribitur 'domi et militiae', quod quidem altero Prisciani loco refutatur, ut Priscianum haec quoque verba altero loco neglegentius adnotasse, quam priore appareat.

Pompei locus ex proprio libello de Sallustii sermone sumptus esse videtur, cum totam quandam verborum comprehensionem ex Sallustii historiis secundum numerorum orationis leges exposuerit. Cuius periodi praefatiuncula quoque 'n u n c, si videtur, Sallustianae periodi numeros inspiciamus' id probatur, quia vocula 'nunc' Sallustii historiarum exordium reliqui Sallustiani sermonis consuetudini opponitur. Inde vero sequitur, ut iam antea de sermonis Sallustiani proprietate a Pompeio illo actum sit. Et quoniam ultra communem rhetorum usum Sallustium videtur perscrutatus esse, clausulis non modo num numerose compositae essent investigatis, sed totis periodis eum accuratissime in hanc rem inquisivisse patet.

Suetonius in libri de illustribus grammaticis capite 15: 'Lenaeus, inquit, Magni Pompei libertus (ibid. cap. 2 Pompeius Lenaeus nominatus) et pene omnium expeditionum comes, defuncto eo filiisque

eius schola se sustentavit: docuitque in Carinis ad Telluris, in qua regione Pompeiorum domus fuerat, ac tanto amore erga patroni memoriam extitit, ut Sallustium historicum, quod eum oris probi, animo invericundo scripsisset, acerbissima satyra laceraverit, lastaurum et lucronem et nebulonem popinonemque appellans, et vita scriptisque monstrosum, praeterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem'. Quibus ex verbis apparet eum etiam fusius de sermone Sallustiano egisse. Lenaeus a Plinio quoque saepius citatur sive uno Lenaei nomine (sic Natural. hist. 24,67; 25,7; 63) sive duobus nominibus Pompeius Lenaeus (cf. Natural. hist. 15,127; 25,5 et indice auctorum ad libros XX, XXI, XXIII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII), quem grammaticum idem commentationes medicinae in praeda Mithridatis repertas iussu Pompei Magni sermone latino transtulisse tradit N. H. XXV, 7. Quibus ex rebus primum patet Lenaeum Pompei nomen accepisse, deinde excellentem grammaticum fuisse, a Suetonio in libro de illustribus grammaticis allatum, tum de Sallustio librum malevolo iudicio scripsisse. Sed ex Rufini loco supra descripto apparuit Pompeium quendam Messalinum accuratissime Sallustii generi dicendi operam dedisse et scripsisse de eo. Quicumque autem huius Pompei excerptum legerit, sibi persuadebit accuratam illam numerorum oratoriorum dinumerationem non factam esse, ut orationis genus Sallustii laudaretur, quod in clausula, de qua certum iudicium antiquorum habemus, choriambus est praecedente spondeo, quae clausula ab antiquis vituperatur. Exempli gratia afferam Martianum Capellam (V, 522), qui veteres auctores secutus molossum, cuius media longa in duas breves soluta est, hoc est choriambum, autecedente trochaeo laudat,

sed dicit: 'fit autem pessuma clausula, si pro trochaeo paenultimo spondeum praelocaveris'. Et cum a Cicerone choriambica clausula non commemoratur, concludi licet eum hanc pro bona non habuisse, quod demonstravit Zielinski in libro qui inscribitur: Das Clauselgesetz in Ciceros Reden Lpz. 1904, p. 162 sq.

Quae cum ita sint, fieri non potest, quin audeam conicere illum Pompeium Lenaeum neminem esse nisi Pompeium Messalinum Rufini. Bene scio magni momenti esse cognomen Messalini neque a Suetonio commemoratum neque a Plinio. Sed ut omittam Lenaei temporibus Messalini cognomen exstitisse nobis servatum Tibulli l. II, 5,17; 115, Taciti Annal. II, 32; III,34 et alibi atque in inscriptionibus latinis legi (cf. CJL VIII, 2525 et 2536; 17723; 17851; III, 7529; XIV, 2588), causae, quibus commotus Lenaeum et Messalinum eundem Pompeium esse putem, tantae esse videntur, ut difficultatem, quae cognomine efficiatur, superent. Incertum quidem est, quo modo nomen Messalinus illi Pompeio attributum sit. Qua de re temerarias coniecturas facere mihi in animo non est, quae quid de Pompeio Messalino et Pompeio Lenaeo censeam, stabilire non possint, sed committo potius iudicium viris doctis, quos meam dissertatiunculam lecturos esse spero. Sed cum Lenaeus locum cognominis teneat, non intermitto, quominus eos ad Mommsenii librum Römische Forschungen I p. 50 remittam, ubi Romanos cognomina interdum mutavisse demonstratum est. Quare concludi liceat ludi magistrum libertum cum aliis causis nunc ignotis tum ea de re, quia nobilissimae familiae gentile nomen tulit, peregrinum suum nomen seu iam cognomen commutare maluisse cum cognomine vere latino.

Collata a Rufino ex nonnullis scriptoribus, qui de mensura comicorum et tragicorum latinorum scripserunt, incipiunt ab Euanthii loco, quo hic grammaticus tradit eos, qui in metris iambicis neglegentius egerint, a Terentio adeo victos esse resolutione huius metri, ut ad imaginem prosae orationis procederet. Itaque Euanthii excerptum tanquam exordium facit, quo propositum pronuntiatur locorum collationis, quae sequitur. Nam omnia Rufini excerpta nihil aliud contendunt nisi illos grammaticos confirmavisse Terentii comoedias versibus compositas esse, quod de Aspro iam supra p. 18 exposuimus. Quae autem diximus eo probantur, quod Rufinus complurium grammaticorum de eadem re sententias conscripsit. Ita tria fragmenta de versu iambico septenario sive comico quadrato reperimus, quae omnia ad Varronem pertinent: Charisii locum, quocum Diomedes ad verba congruit (cf. supra p. 10) et ipsius Varronis p. 556,$_{14}$ (v. p. 14), qui tam obscurus est, ut vix perspiceremus, nisi ille Charisianus locus traditus esset. Nam cum illa Varroniana sine conexu a Rufino excerpta sint, in dubio relinquimur, quid verba 'totidem semipedibus adiectis' significent. At Charisii excerpto adiuti — Diomedem enim omisimus, quippe qui ex Charisio hauserit — a Varrone, ut septenarius iambicus oreretur, trisyllabum pedem extremo senario subiunctum esse scimus. Sed iam quaeritur, qua re Varro adductus sit, ut trisyllabum pedem 'totidem semipedes' infra nominaret, cum neque 'totidem' per se tres sint, neque quid 'semipes' significet, perspicuum sit.

Relegavit me praeceptor meus Ludovicus Jeep ad Diomedis locum GLK I 507,$_{24}$, ad quem me hac quaestiuncula elaborata etiam Westphalius, Metrik der Griechen I^2, p. 172 relegavit. Ex eo elucet grammaticos voce 'semipes' syllabam comprehen-

disse.[1]) Vocula autem 'totidem' quin ad aliquid praecedens respiciat dubitare nemo potest. Ergo cum in loco a Rufino descripto nihil est, ad quod vocem 'totidem' referamus, mihi persuasum est ante excerptum a Rufino servatum a Varrone actum fuisse de origine versus cuiusdam, qui aeque atque comicus quadratus tribus syllabis adiectis ex senario prodit. Qua in re definienda loco Diomedis collato adiuvamur, qui trochaicum septenarium fieri: 'cum ad iambici veri, inquit, principium additur pes trisyllabus amphimacrus'. Atque cum sciamus Varronem omnia metra sive ex heroo hexametro sive ex iambico senario derivasse (cf. Leo, die beiden metrischen Systeme des Altertums Hermes XXIV p. 280 sq.), cumque, si primum de trochaico septenario eodem modo, quo Diomedes egit ita, ut ibidem vocem 'semipes' declararet, omnis difficultas verborum 'totidem semipedibus adiectis' evanescat, unumquemque mihi esse concessurum puto, ante nostrum locum actum fuisse de origine trochaici septenarii ex iambico senario. Accedit quod, si hoc ita se habere nobis persuasimus, apparet, qua de causa Varro tractatum a Rufino servatum inducat adversativa particula 'at'. Nam trochaicus septenarius fit, cum ad senarii iambici initium, iambicus contra septenarius, cum ad finem trisyllabus pes adiciatur. Quae cum ita sint, illum Diomedis locum, quo in Varronis verbis perspiciendis profecti sumus, Varronis quoque esse coniecerim.

---

1) Diomedes l. l. 'Trochaicus, inquit, idem septenarius et quadratus. hic si verus est, omnes septem trochaeos habet et semipedem, id est unam syllabam, cuius exemplum tale est

inmerens anus virente secta pinus in Crago.

hic fit cum ad iambici veri principium additur pes trisyllabus amphimacrus'.

Grammaticum Antiochensem tum locum, de quo egimus, tum Charisiana ista propter Terentii versum p. 555,$_{20}$ excussisse patet. Sed versum 'quid inmerentibus noces, quid invides amicis', quem versum reperimus etiam apud Bassum GLK VI, p. 266,$_{10}$, utrum ex poeta quodam sumpserit Varro, an is ab ipso fictus sit, id quod Leo l. l. p. 287 vult, remanet incertum.

Tantum propter Terentii versus excussa esse mihi videntur reliqua quoque duo Varroniana, quorum prior locus p. 555,$_{11}$ agit de nota / transversa inter syllabas, quam poni oportere in locis 'huiusce modi' dicit Varro frequentius ad extremum versum senarium et similes, si pro longa brevem habeant extremam. Quae nota transversa a Diomede in ea parte artis, quae agit de metris Horatianis, servata est, qua autem aliter utitur ac Varro vult, ad singulos pedes designandos, quod facilius intelleges, si legeris hunc Diomedis locum GLK I p. 518,$_{34}$: 'prima ode, inquit, metrum Asclepiadeum habet. scanditur vero sic et dicitur penthemimeres, spondius dactylus semipes dactylus dactylus

Maecenas atavis, edite, regibus.

alii sic scandunt, spondius choriambus choriambus pyrrichius

Maecenas atavis, edite regibus'.

At quia Varro notam transversam in fine poni vult, si pro longa brevis syllaba versum claudit, 'huiusce modi' loci erunt ei, ubicunque brevis syllaba pro longa reperitur (cf. Ritschl., de M. Terentii Varronis disciplinarum libris opusc. III p. 383).

Tertius Varronis qui restat locus p. 556,$_{7}$ est de clausulis i. e. minusculis versibus propterea ita nominatis, quod claudunt sententiam. Quod nomen ex arte rhetorica Varronem sibi sumpsisse ostendit

Leo, Hermes XXIV p. 291. Sed Varro etiam minores versus, a quibus nonnunquam initium fit, clausulas appellat, qua in re abscedit a rhetoricis. Et exempli gratia praeter Accii et Caecilii versus affert Terentii versiculum Adelph. 610: 'discrucior animi', qui quamquam ab eo initium fit, tamen clausulae exemplum a Varrone inducitur. De clausulis agit prioris quoque Victorini excerpti finis p. $557_{,13}$ qui praecipue Plautum et Naevium et Afranium eis usos esse dicit.

Sed de pedibus iambici versus Rufinus quattuor grammaticorum sententias posuit, Caesii Bassi p. $555_{,22}$ (videas supra p. 15), Victorini p. $557_{,19}$ (v. supra p. 8), Terentiani p. $560_{,9}$ (v. supra p. 9), Iubae p. $562_{,11}$, qui omnes consentiunt iambicum metrum non ex solis iambis fieri sed ex iambo et spondeo et eorum solutionibus. Illis variis pedibus autem efficitur, ut versus desinat iambicus videri. Exempli causa Bassus versum Terentii Eunuch. 49 affert p. $556_{,1}$

'exclusit, revocat, redeam? non, si me obsecret',

quem et pro trimetro iambico cum solutionibus secundi et tertii loci habere potes et pro hexametro spondiazonti. Quem postquam in heroum versum rectum permutavit paucis syllabis in fine mutatis, ut melius sententiam suam patefaciat, affert versum

'heros Atrides caelitum testor fidem'

a se ipso fictum, quod ex verbis inducentibus 'ponam dubium secundo loco pedem' concludi potest et eo probatur, quod in libello de metris huius versus partem adhibuit ad alios versus formandos, ut GLK VI, p. $256_{,21}$:

'tibi crescit herba caelitum testor genus,'

et p. $258_{,24}$

'meae Camenae caelitum testor genus',

qui versus etiam in Victorini arte GLK VI, p. $149_{,6}$

reperitur. At initium versus ex Rufini excerpto allati incertum est, utrum dactylicum an iambicum feriendum sit. Sed in Victorini, Terentiani, Iubae locis supra laudatis nihil commemoratu dignum inest.

Iam accedimus ad versus Rufini grammatici de metris Terentii et Plauti et ceterorum p. $558_{,7}$. Valde mirandum est Rufini versus non continuos sed interruptos esse exemplis ex Terentii fabulis sumptis et prosaria oratione introductis. Primum igitur illis exemplis omissis Rufini versus perscrutabimur ordinem commentarii Rufiniani secuti. Initium autem faciunt hi p. $558_{,8}$:

'Agnoscit metrum servatque Terentius artem.
nam prologos trimetro didicit componere versu
scaenarumque actus primos pede claudit eodem,'

quorum duo ultimi ad verba fere congruunt cum Victorini verbis GLK VI, p. $78_{,24}$ ab ipso Rufino p. $557_{,4}$ excussis (v. supra p. 7): 'p r o l o g o s itaque et p r i m a r u m s c a e n a r u m a c t u s trimetris comprehenderunt,' ubi Victorinus continuo pergit 'deinde longissimos, id est tetrametros, subdiderunt.' Quibus cum verbis versus Rufini a prioribus seiunctus exemplis illis Terentii cohaeret, qui p. $558_{,17}$ legitur hoc modo:

'tetrametros sequitur, quem finxerat ille Boiscus.'

Ergo seriem quattuor versuum inter se cohaerentium, quae cohaerentia comprobata est verbis Victorini a Rufino l. c. descriptis, exemplis versuum Terentianorum disturbatam esse apparet. Sed Rufinus inventorem versus tetrametri nominat, cuius memoriam a Iuba petivisse eum Keilius cognovit, Iubae loco a Rufino relato, ubi agitur de versu Boiscio p. $564_{,1-6}$. Sed adnotandum est Rufinum male perspexisse sensum illius Iubae loci, qui de octametro iambico catalectico agit accuratius in Victorini arte GLK VI,

p. $82_{,25}$ pertractato. Hic enim octametrum versum Boiscium ait constare ex duobus tetrametris, priore acatalecto, catalectico altero in unum redactis.[1]) Fieri autem non potuit, ut Boiscus tetrametrum iambicum acatalectum, quem Rufinus voluit, inveniret, quia iam antiquissimi lyrici poetae eo utebantur, ut exempli causa afferam Alcaei frg. 56 et Alcmanis frg. 13 (Poetae lyrici ed. Bergk). Boiscum floruisse Alexandrinorum aetate optime ex artificioso illo metro conclusit Leichsenring, De metris graecis quaestiones onomatologae, Diss. Gryph. 1888 p. 28. Praeterea tetrameter iambicus acatalectus a Servio GLK IV, p. $459_{,2}$ Anacreonteus appellatur (cf. Christ l. l. [2]p. 343), qua re item ad antiquissimos Graecorum poetas lyricos reicimur.

Sequitur Rufini versus de origine trochaici archilochii p. $559_{,1}$:

'creticon Archilochus supra caput addit iambi,'

in quo Terentiani versum 2350 Rufinum imitatum esse putavit Keilius, qui versus est hic:

'Archilochus auctor traditur talis metri.'

Sed Rufinum hunc auctorem in pertractando Archiochio trochaico non adhibuisse docent Terentiani versus 2280—83, quibus Archilochium metrum derivat ex tetrametro iambico dempta prima syllaba, cum Rufinus eum ex trimetro natum esse probet addito cretico. Immo vero habemus fontem huius quoque Rufini versus apud Victorinum p. $135_{,14}$, qui: 'Archilochus, inquit, creticum iambico trimetro praeposuit, ut faceret tetrametrum trochaicum (cf. ibid. p. $134_{,14}$).

1) cf. Christ, Metrik der Griech. u. Röm. [2]p. 356.

Versus, qui secuntur p. $559,_6$, agunt de iambo hipponacteo. Exemplis, quae inserta sunt, ut dixi, omissis habemus quinque versus hos:

'Ultimus amphibrachys velocem claudit iambum,
aut bacchius erit finis discrimine nullo:
utitur Hipponax hoc metro maximus auctor.
legitimum interdum sub scaenis ponit iambum.
utitur his Plautus metris et mille poetae.'

Ut primum de origine trium priorum versuum agam, hic quoque Keilius mihi errare videtur, cum de Hipponactis invento Rufinum secutum esse Terentianum v. 2371 adnotet. Terentiani enim locus est hic:

Archilochus autem creticum sicut dedit,
aeque trimetro iunxit Hipponax pedem
novissimum trisyllabum ex prima brevi
longis duabus: antibaccho nomen est.

Rufinus autem versibus supra allatis aliquanto plus tradit quam apud Terentianum reperimus, cum praeter bacchium etiam amphibrachyn hoc metri genus efficientem inducat. Sed ne nomen quidem alterius pedis sumpsit a Terentiano, qui loquitur de antibaccho, cum Rufinus bacchium nominet. Itaque censeo grammaticum Antiochensem Terentiani locum ante oculos non habuisse. Sed videbis Rufinum hic quoque Victorinum secutum esse. Primum enim GLK VI, p. $135,_{15}$: 'Hipponax, inquit, trimetro iambico ultimum adiunxit antibacchum ex prima brevi longis duabus.' Qui locus cum versibus Terentiani supra citatis maiorem habet similitudinem, quam ut eam a me demonstrari oporteat. Sed exstat alius quoque locus, quo de tetrametro agitur, apud Victorinum p. $80,_{18}$: 'lego praeterea in fine dumtaxat catalectici tetrametri bacchium a brevi incipientem vel amphibrachyn propter novissimae syllabae indifferentiam admisisse quosdam.' Atque Rufinum re vera senten-

tiam ex hoc loco petivisse non solum hoc demonstrat, quod item bacchium et amphibrachyn adhibet, sed etiam quia sicut Victorinus confirmat 'discrimine nullo' poni amphibrachyn et bacchium. Maximam autem difficultatem praebet versus Rufini p. $559,_{12}$:

'legitimum interdum sub scaenis ponit iambum'.

Primum enim quid significet hoc loco 'legitimus iambus' ex Rufini versibus perspici non potest. Ex exemplo ex Terent. Andr. 68 allato cognoscimus 'legitimum iambum' hoc loco versum trimetrum significare videri. Sed necesse est perscrutari nos, quid alii rei metricae scriptores hac elocutione comprehenderint. Relegaverim lectores ad Atilii Fortunatiani artem GLK VI, p. $286,_{16}$, qui: 'versus, inquit, qui ex hoc uno (sc. iambo) est, legitimus iambicus erit, quem Graeci *ὀρθόν* vocant, ut ille est

beatus ille qui procul negotiis',

et p. $287,_{11}$: 'ille enim legitimus solus, quem *ὀρθόν* dixi, iambo solo constat'. Quam explicationem ad exemplum trimetri ex Terentio a Rufino sumpti non aptam esse patet, quia primo et quinto loco habet solutiones.

Alia quoque difficultas in illo Rufini versu nobis offertur, nam incertum est, quod habeat subiectum verbum 'ponit'. Atque cum Rufinus hoc versu nullum poetam nominet, fieri non potest quin respiciamus ad versus antecedentes, in quibus Hipponactem affert, quem etiam nostro versu a Rufino spectatum esse oportet. Sed huic sententiae obstat vox 'scaena', quae fabulas in scaena actas h. l. significat, quas Hipponax non composuit. Ergo Rufinum cogitasse poetam tragicum vel comicum mihi concedes. At cum neque hoc versu neque antecedentibus scaenicus poeta nominatus sit, lacunam esse inter primos tres versus et quartum supra descriptos

necesse est. Quod etiam ultimo versu probatur, quo Rufinus dicit Plautum et mille poetas his metris usos esse. Nam cum dicat 'his metris', pluria cogitat quam unum trimetrum legitimum. Versum hipponacteum autem, qui paulo ante pertractatus erat, huc numerare non licet, quia Rufinus in fine de illo metro: 'utitur, inquit, Hipponax hoc metro'. Itaque censeo nonnullos versus ante eum, quo Plautus nominatur, desiderari, hac quoque re commotus, quod trium versuum duo iisdem fere verbis incipiunt 'utitur Hipponax hoc metro' et 'utitur his Plautus metris'.

Transeamus ad versus p. 559,$_{16}$, quibus agitur 'de pedibus, quibus haec consistunt metra':

Dactylus aut spondeus inest vel cursor iambus,
aut anapaestus erit positi discrimine nullo
partibus in quinis. nam post celer exstat iambus
pyrrichiusve citus finem concludere possit.

In quorum versuum compositione Rufinum alterum locum Victorini supra p. 8 citatum secutum esse iam Keilius perspexit. Keilii sententiam ego h. l. omnino probo, praesertim cum uterque grammaticus tribrachyn pedem omiserit. Sed quoniam Victorinus de ultimo trimetri pede non disseruit, quaeritur unde sumpserit Rufinus scientiam, trimetrum concludi posse tam iambo quam pyrrichio. Eum hac quoque in re Victorini verba quamquam non loci ab ipso descripti ante oculos habuisse intelleges, si legeris Marii sententiam p. 80,$_{11}$, ubi 'sexto loco, inquit, quidam volunt recipi pariambum ea contemplatione, qua herous in ultimo trochaeum' et p. 132,$_{21}$, quo loco sextum pedem semper aut iambum esse debere aut pariambum docet. Fortasse dixeris pedem a Victorino pariambum, pyrrichium a Rufino nominatum esse. Sed Victorinus ipsi p. 44,$_{18}$: 'pyrrichius, inquit,

qui et pariambus et dibrachys appellatur', ut omnis difficultas evanescat.

Secuntur p. 559, $_{24}$ versus 'de nomine talium versuum sive metrorum':

Graecus apemphaenonta solet memorare poeta,
inmanifesta vocant haec carmina voce latina.
Hunc trimetron veteres Graii cognomine dicunt,
quod pedibus iunctis hunc scandere saepe solebant.

Ut Rufinus adhuc Victorinum secutus est, ita eum his quoque in versibus hoc fecisse Keilius cognovit. Sed duos Victorini locos adhibuit, unum de immanifestis metris, alterum de nomine trimetri. Victorinus enim dicit p. 105, $_{26}$: 'illa autem, quae Graeci *συγκεχυμένα* et *ἀπεμφαίνοντα*, quae nos confusa et immanifesta dicimus', quod repetit p. 106, $_{15}$, ubi: 'at cum inter se, inquit, similia aut disparia nectuntur, tunc ex ipsa brevitatis conclusione obscuritas nascitur, unde *συγκεχυμένα* et *ἀπεμφαίνοντα* a Graecis, a nobis confusa et immanifesta appellata sunt', quos locos Rufinum ante oculos habuisse nemo non concedet. Atque de nomine trimetri scientiam petivit ex eodem Victorino, qui p. 70, $_{10}$: 'trimeter, inquit, appellatur a Graecis, quia tribus percussionibus per dipodias caeditur' et p. 132, $_{8}$: 'nam ut illum a sex pedum cursu hexametrum, ita hunc quoque ob eundem pedum numerum senarium appellari voluerunt, quem et trimetrum: nam iugatis per dipodiam binis pedibus ter feritur'.

Transeamus iam ad versum Rufini de choliambo, qui est hic:

Ponitur aut scazon, spondeum finis habebit.

Quo loco nihil aliud sequitur, nisi exempla huius generis choliambi, quamquam propter particulam 'aut' alteram partem priori respondentem exspectamus, quam in antecedentibus versibus non reperimus.

Ergo hic aliquid praetermissum esse apparet. Sin autem comperire volumus, quid id fuerit, multum nos adiuvat fons, ex quo etiam hic locus fluxit. Habemus enim Victorini locum p. 81, $_4$ a Rufino ipso p. 557, $_{27}$ excussum (v. supra p. 8). Quo loco Victorinum duas formas choliambi discernentem vidimus, quarum una habet in fine trochaeum, altera spondeum. Atque cum Rufinus formam 'spondiacam' commemoret, trochaicam desiderari per se patet.

Valde autem mirandum est, quod Rufinus titulo 'de metris comicis' praemisso repetit ea, quae antea pertractavit, cum dicat:

Tetrametros trimetrosque capit comoedia versus.
tetrametrum primus fertur posuisse Boiscus.
creticon Archilochus trimetro superaddidit ingens.
amphibrachyn trimetro Hipponax supponit iambo.
fulserat hac Plautus pulcherque Terentius arte.

Metrorum antea tractatorum unus deest choliambus, quae res fortasse eo declarari potest, quod in fabulis Terentii et Plauti choliambus trimeter non adhibitus esse videtur. Fidem sententiae auget ea quoque res, quod neque Rufinus, neque Victorinus, quem in tractando choliambo eum secutum esse vidimus, comicorum poetarum exempla choliambici versus afferunt, sed Rufinus ex Persii satirarum prologo, Victorinus ex Terentiani carmine de metris. Quod autem ad repetitionem pertinet, in fine alterius quoque partis Rufiniani tractatus similis repetitio inest, de qua ut hoc iam loco agam, mihi concedas. Leguntur septem versus Rufini de numeris et pedibus oratorum p. 576, $_1$:

Creticus aut spondeus erit paeanve supremus,
dactylus atque trochaeus adest vel cursor iambus
partibus in cunctis, qui ponitur ante supremum,
temporibusve pares hos omnes reddere possunt,

solvere seu longas malis ut syllaba crescat.
rhetoricis Asiae placuit bis fine trochaeus.
principium et medium et finem tibi dochmius
ornat.

Hic breviter repetitas esse sententias de numero oratorum antea accuratius pertractatas optime docent nos ultimi duo versus, quorum prior respicit ad pag. 566, $_{29}$ 'aut Asiae numerus pulcher, bis fine trochaeus', alter de dochmio ad p. 566, $_{7-20}$. Eodem modo res se habet in tribus primis versibus, quibus pedes oratorii numeri enumerantur, de quibus antea paulo subtilius egit Rufinus, ut inde expedire possimus elocutionem 'paeon supremus', qua Rufinus significare voluit paeonem ex tribus brevibus syllabis longa claudente (cf. p. 566, $_{1}$). Reliqui autem versus, quartus et quintus, maxime me offendunt. Nam cum creticus, spondeus, paean, dactylus, trochaeus, iambus a Rufino commemorentur, unusquisque facile intellegit illos temporibus pares esse non posse.

Hic autem admonendum est maximam similitudinem esse inter versus supra excussos et Rufini versus p. 565, $_{13-16}$, in quibus eadem repugnantia inest, quae supra nos offendit. Legimus enim versus hos:

Rhetoras Ausonios et Graios dactylus armat.
Dactylus armavit Ciceronem, armavit iambus
spondeusque gravis numeroque aptissime paean,
temporibusque pares, quamvis et syllaba crescat,

quorum versuum tertium corruptum esse Keilius in apparatu critico adnotavit. Hic ita hunc locum sanare conatur, ut pro adverbio 'aptissime' scribendum esse dicat 'aptus quoque paean', quam coniecturam probare nequeo, quia liberam magis eam correctionem esse quam emendationem neque lacunam, quae exstat, suppleri patet. Cre-

ticum enim et trochaeum h. l. non enumeratos esse idem vidit, quare ego contendo, creticum fuisse inductum in versu tertio inter spondeum et paeanem. Nam versus quartus non potest sequi versum tertium nobis traditum, quia spondeus et paean temporibus impares sunt et paean, siquidem eum comparamus cum spondeo, non una sed duabus syllabis crescit. Sed illa aditamenta apta sunt paeane comparato cum cretico, quem quidem hoc loco nominatum fuisse concludere possumus ex Ciceronis loco a Rufino in hisce versibus elaborandis adhibito. Cicero enim in Oratoris § 215 'Nam et creticus, inquit, qui est e longa et brevi et longa, et eius aequalis paean, qui spatio par est, syllaba longior, quam commodissime putatur in solutam orationem illigari'. Ergo lacunam esse illo loco pro certo habeo.

Revertamur ad versus p. $576,_1$ (v. p. 57), a quibus digressi sumus. Iam supra vidimus eis repetitum esse id, quod Rufinus antea pertractavit, repetitas esse ineptias quoque corruptorum versuum pag. $565,_{13-16}$, de quibus egi. Quae cum ita sint, temperare mihi non possum quin contendam illos versus p. $576,_{1-7}$ non ab ipso Rufino, sed a stultissimo quodam interpolatore factos esse ex versibus pag. $565,_{13-16}$ iam corruptis. Quonam modo fieri potuit, ut Rufinus ipse, qui sententiam suam in paucos versus compressit, eandem repeteret paucioribus! Aeque se habere iterationem in priore commentario Rufini per se patet ex comparatione alterius, cum hoc quoque loco versus ad verba fere repetiti sint, ut exempli causa afferam v. $560,_6$ 'creticon Archilochus trimetro superaddidit ingens', qui respondet versui pag. $559,_1$ 'creticon Archilochus supra caput addit iambi'.

Iam vero accedimus ad versus Terentii, qui exempli gratia Rufini carmini inserti sunt. Quae

exempla quin ab ipso Rufino collata sint, per se non habemus, cur dubitemus. Mirandum autem est, quod Rufinus exempla prosaria oratione inducat, qua versus identidem interrumpit. Dixerit aliquis conclusione prioris partis commentarii pag. 565, $_{1-8}$ (mensuram esse in fabulis — munera pulchra libens) Rufinum carmen suum prosaria oratione diremisse demonstrari, quare mirandum non esset exempla soluto sermone inducta esse. Sed hoc non recte iudicatum est. Nam particula ista prosaria oratione scripta in fine tanquam argumentum est, quod subscriptione duorum versuum clauditur, qui cum carmine non cohaerent. Quae res eo probatur, quod omnes prioris carminis versus memoriae traditi hexametri sunt dactylici, sed subscriptio distichon. Ergo illo modo versus soluto sermone interrupti non excusantur.

Sed iam quaeritur, unde Rufinus exempla sibi sumpserit, utrum collegerit illa ex ipsis Terentii fabulis an ex alio rei metricae scriptore. Atque primum quidem dico eadem trimetri et tetrametri exempla, quae in Rufini commentario p. 558,$_{11}$ sq. etiam in Prisciani de metris Terentii libro GLK III, p. 422, $_{22}$ sq. inesse, qua re Keilius commotus est, ut GL VI p. 553 suspicaretur Rufinum a Prisciano exscriptum esse. Adiuvit Keilium etiam, quod Priscianus p. 419,$_{18}$ eosdem Terentiani versus, quos Rufinus excussit p. 560,$_{10}$. Quare similitudinem, quae inter Prisciani et Rufini libros est, examinabimus, ut eluceat num Keilii sententia probari possit.

Priscianus praefatione praemissa tres locos Terentiani, Asmonii, Iubae affert, quos inducit verbis 'sed prius metricis de supra dictis scripta proponam'. Atque fieri potuisse, ut Priscianus Rufini opere in exarando Terentiani loco uteretur, ea re probatur,

quod tres versus minus quam Rufini commentarium praebet. Sed hoc nondum satis demonstrat hos versus re vera ex Rufini tractatu fluxisse, cum Priscianus eos ex ipsius Terentiani carmine — si modo Terentianum ipse legit, quod Keilius GL III p. 395 contendit — sive ex alio quodam fonte abscondito sumere posset.

Et quoniam ex illis Terentiani versibus quaestionem diiudicare non possumus, accedamus ad exempla inserta necesse est. Apud Priscianum p. $422,_{22}$ legimus: 'Similiter Terentius in omni prologo et in omni prima scaena trimetris utitur, nisi confundant versus scriptores, ut in Andria

poeta cum primum animum ad scribendum appulit,
id sibi negotium credidit solum dari
populo ut placerent quas fecisset fabulas,

et

vos istaec intro auferte, abite Sosia,
adesdum, paucis te volo. Dictum puta.'

Rufinus autem omisit versum 'populo-fabulas', ut Priscianus hunc Rufini locum adhibuisse in scribendo libello non posset. Nam nemo sibi persuadebit Priscianum illum versum adiecisse vel Rufini codicem pleniorem habuisse, quam qui ad aetatem nostram venerunt, praesertim cum Rufinus nusquam plus duos versus exempli causa afferat. Accedit quod Priscianus post illos versus etiam seriem exemplorum affert ex reliquis Terentii comoediis, cum Rufinus praeter versus Andriae nullos excusserit in tractatu de trimetro et tetrametro. Hic quoque Priscianum ex ipsius, ut ita dicam, scrinio exempla prompsisse vix credideris, qui in altera parte libelli versus Grae-

corum poetarum ex Heliodori et Hephaestionis auctoritate affert.[1])

Alius quoque Prisciani locus maximam similitudinem cum Rufino habet, qui est de tetrametro. Priscianus enim p. $523,_{24}$: 'idem, inquit, tetrametro in multis utitur iambico scenis, ut in Andria

mirabar hoc si sic abiret, et heri semper lenitas.

dimetro quoque distinctionis causa usus est per medium,

verebar, quorsum evaderet.

post quem iterum tetrametros posuit

qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo

nusquam cuiquam nostrum verbum fecit neque id aegre tulit

similiter

enimvero, Dave, nihil loci est segnitiae neque socordiae,

quando intellexi modo senis sententiam de nuptiis.'

Sed Rufinus p. $558,_{17}$ dicit:

'tetrametros sequitur, quem finxerat ille Boiscus:

quales sunt isti versus

mirabar hoc si sic abiret et eri semper lenitas,

qui sequitur, dimetrus est, id est pedes simplices quattuor habet

verebar, quorsum evaderet.

alii tetrametri similes hi

enimvero, Dave, nihil loci est segnitiae neque socordiae.'

Etiam hic Priscianus plura exempla excussit quam Rufinus, ut hic quoque locus verisimile non reddat Priscianum Rufini commentarium consuluisse. Ma-

1) Eos testes inducit p. $426,_{16}$ 'Heliodorus metricus ait', p. $427,_{2}$ 'teste Heliodoro', item p. $427,_{20}$; $428,_{5}$; $_{16}$; $_{25}$; Hephaestionem p. $429,_{1}$; p. $428,_{1}$: Seleucum.

xime autem mirandum est, quod et Rufinus et Priscianus, cum de tetrametro iambico agant, sine ulla causa dimetrum attulerunt, quae res apud Priscianum p. 425,24 similiter reperitur, qui post versus Andriae 481—484 allatos 'hos sequitur, inquit, dimeter catalecticus finiendi sermonis causa, quem ad Archilida habuit

(485) date mox ego huc revertar.'[1])

Atque fortuito talia facta esse non possunt. Ergo apparet Priscianum Rufini commentarium in componendo libro de metris Terentii non usurpavisse et similitudinem inter Rufini et Prisciani libellos eo ortam esse, quod uterque eodem fonte usus est. Cui sententiae non repugnat, quod Rufinus uno loco excepto exempla ex Terentio affert, cum in Prisciani libro praeter Terentii versus etiam Plauti, Ennii, Accii, Turpilii inveniamus. Nam in Rufini fonte infuisse versus variorum poetarum demonstrant exempla choliambici versus, quae ex Persio sumpta sunt. Infuisse autem plures versus in fonte, quam quos Rufinus in suum libellum transtulit, concludi licet ex eo, quod Rufinus p. 558,22 dicit 'alii tetrametri similes hi', cum unum afferat.

Iam nova fit quaestio, qui communis fons Rufini et Prisciani fuerit. Apud Priscianum praeter Terentii versus legitur series versuum Plauti, Ennii, Accii, Turpilii, qui nos ad fontem relegant summae auctoritatis, seu ex ipso seu per alios in Prisciani commentarium fluxerunt. Atque duo Rufini loci nos ad Caesium Bassum conducunt. Prior Rufini legitur

1) Pro praesenti 'revertor' futurum 'revertar' sive 'revortar' poni necesse est cum ex auctoritate codicis Decurtati tum huius Prisciani loci, qui nobis antiquissimam traditionem praebet, cum etiam Victorianus codex praesens in futurum correctum habeat.

locus p. $558,_{20}$: 'qui sequitur, dimetrus est', ubi formam 'dimetrus' legimus pro 'dimeter', quas formas in -us desinentes a Basso usitatas fuisse supra p. 15 indicavimus. Alter est apud Rufinum p. $559,_{22}$ quo loco exemplum trimetri iambici variorum pedum Rufinus affert versum Terentii Eunuch. 49

'exclusit, revocat, redeam? non, si me obsecret,'

quem etiam in Bassi excerpto de pedibus iambici trimetri apud Rufinum p. $556,_{1}$ legisti (v. supra p. 15 et 50). Et Bassum praeter Terentium etiam alios antiquissimos poetas exempli causa attulisse, demonstrat locus GLK VI p. 265, quo in capite de versu saturnio Naevium poetam appellavit eiusque versum descripsit vers. 14 et 30. Quae cum ita sint, communem fontem Prisciani et Rufini Caesium Bassum repperimus. Sed utrum Rufinus et Priscianus ex Basso ipso an per alium grammaticum doctrinam arcessiverint, diiudicare nequimus, quia ex Bassi de metris commentario perpauca modo servata sunt.

Antea p. 57 sq. tanquam praecurrentes duos locos alterius commentarii Rufini de numeris oratorum pertractavimus, in quibus Ciceronis praecepta invenimus. Perscrutemur igitur, num aliis quoque in versibus Tullium secutus sit. Rufinus ipse identidem dicit se Ciceronis scripta de arte rhetorica adhibuisse idque hisce versibus:

p. $566,_{2}$ Tullius hunc laudat, cui sit paenultima longa;
p. $566,_{15}$ ut docet Ausonius orator Tullius ingens;
p. $567,_{17}$ iudiciis paeana refert tibi Tullius aptum.

Itaque iam Keilius singulis versibus locos Ciceronis adnotavit, ex quibus illos versus fluxisse putavit. Keilium autem G. Wuestius secutus est in dissertatione sua: de clausula rhetorica quae praecepit

Cicero, quatenus in orationibus secutus sit. Argent. 1881 p. 10. Nam postquam de M. Fabio Quintiliano egit: 'Multo minus, inquit, quam Fabium ceteros qui deinceps vixerunt rhetores libero de hac re iudicio usos esse facili negotio sibi quisque persuadebit, qui corpus rhetorum latinorum minorum ab Halmio curatum percurrere voluerit. Atque ut multorum instar unum proferre mihi liceat exemplum Rufini, primo obtutu liquet eum verba Ciceronis libere circumscripsisse versibus.' Quae Wuestii sententia a nobis probari non potest, quia Rufinum non ubique Ciceronem secutum esse videbimus. Atque primum quidem investigemus in versus p. $565,_{22}$ sq.:

Doctus Aristoteles paeanem laudat utrumque:
a longa incipiens primordia pulchra locabit,
'aspicere' ut verbum est, contrarius ille supremus.
Tullius hunc laudat, cui sit paenultima longa
'esse' trochaeus adest, 'videatur' tertius ille,
quem paeana vocat Musis devota vetustas.
hic membris numerus melior, cui tertia longa.

Quos ad versus Keilius adnotat Rufinum Aristotelis sententiam rhetor. III, 8 a Cicerone de oratore III, 47, 183 petivisse, quem locum versibus opponam: 'Probatur autem ab eodem illo [sc. Aristotele] maxime paeon, qui est duplex: nam aut a longa oritur, quam tres breves consequuntur, ut haec verba, desinite, incipite, comprimite; aut a brevibus deinceps tribus, extrema producta atque longa, sicut illa sunt, domuerant, sonipedes. Atque illi philosopho ordiri placet a superiore paeone, posteriore finire.' Sed haec verba respondent primis tribus versibus, cum reliquorum fontem Keilius assignet locum Probi in eodem commentario p. $577,_{8}$ citatum, de quo supra p. 32 egi. Hoc quoque commemoratione dignum est Rufinum paeonem non pedem sed numerum appellasse ultimo

versu supra excusso, cuius exemplum in Ciceronis libro 'de oratore' nusquam inveni. Sed in 'oratore' Tullius § 218: 'Iam paean, inquit, quod plures habeat syllabas quam tres, numerus a quibusdam non pes habetur'. At totum locum ex Probi libro non derivatum esse, si libros inter se comparaveris, intelleges. Iam his ex versibus elucet Rufinum non tam verba Ciceronis 'libere circumscripsisse', quam alios quoque artis scriptores ab ipso collatos adhibuisse, cum 'libero de hac re iudicio' hoc seligeret, quod sibi aptum videretur.

Quae res confirmatur etiam versibus pag. $566,_{21}$ sq., qui docent grammaticum Antiochensem iam ultra Ciceronem longius progressum esse in scientia numerorum sive clausularum oratorum, cum dicat:

Creticus atque trochaeus erit, qui claudere possunt,
aut spondeus inest nullo discrimine finis,
aut vice mutata nomen mutabitur illis:
principio trochaeon habes, in fine molossum,
aut finis bacchius erit, brevis ultima claudet:
longa sit anne brevis, nullum discrimen habetur,
ut solet in metris doctus componere vates.
aut Asiae numerus pulcher, bis fine trochaeus:
sed magis erigitur spondeo clausula fortis.
hanc docet eloquium summi Demosthenis artem.'

His quoque versibus maxime Ciceronis Oratorem 63, 212 Rufinum secutum esse probavit Keilius, quem locum, quatenus ad nos pertinet, infra descripsi: § 212 'insistit autem, inquit, ambitus modis pluribus, e quibus unum est secuta Asia maxume, qui dichoreus vocatur, cum duo extremi chorei sunt, id est e singulis longis et brevibus. § 215. Sed sunt clausulae plures, quae numerose et iucunde cadant. Nam et creticus, qui est e longa et brevi et longa,

et eius aequalis paean . . . quam commodissume putatur in solutam orationem illigari . . . § 216. Ne spondeus quidem funditus est repudiandus, etsi quod est e longis duabus, hebetior videtur et tardior. Habet tamen stabilem quendam et non expertem dignitatis gradum' cet. Hic est locus, quem Rufinum secutum esse Keilius voluit. Sed illum virum doctissimum hac in re erravisse patet. Nam primum habemus creticum atque trochaeum, quos ita, ut nobis a Rufino traditi sunt, non duas clausulas - ◡ - et - ◡ esse apparet, sed unam - ◡ - | - ◡ aut - ◡ - | - -, quia spondeum quoque in fine esse posse Rufinus docuit. Quam sententiam rectam esse probant versus, qui insequuntur. Nam cum Rufinus dicat illis nomen mutari posse, ut initio trochaeum habeamus, molossum in fine, ubi haec clausula evenit - ◡ | - - -, quae eadem est atque illa secunda, aut cum ultima syllaba nullo discrimine brevis esse possit, ut pro molosso bacchium habeamus, qua re denuo prior clausula - ◡ | - - ◡ efficitur, apparet eum unam clausulam ex cretico et trochaeo sive spondeo spectavisse. Quam clausulam optimam esse dicunt Muellerus[1]) et Norden[2]); Zielinski[3]) autem omnes ex hac forma derivatas esse probat. Sed a Cicerone in enumeratione clausularum haec nondum nominatur, quamquam eam bonam esse iam sensisse videtur, cum vituperaret Orat. § 222 illud Crassi 'missos faciant patronos; ipsi prodeant' et diceret 'omnino melius caderet: prodeant ipsi'.

---

1) Ernestus Mueller, de numero Ciceroniano Dissert. Berol. 1886.

2) Ed. Norden, Die antike Kunstprosa, 2 Bde. Lpz. 1898.

3) Thad. Zielinski, Das Clauselgesetz bei Cicero. Philologus 1904, Suppl. IX.

Primus est Quintilianus, quem hanc clausulam recte perspexisse videmus, qui IX, 4, 97: 'spondius quoque, inquit, quo plurimum est Demosthenes usus, non eodem modo semper se habet: optime praecedit eum creticus, ut in hoc: de qua ego nihil dicam nisi depellendi criminis causa'. Sed Quintilianus clausulam spondiacam antecedente cretico non eandem putat quam trochaicam cum eodem pede coniunctam; nam ex loco, quem legimus IX, 4, 93 intellegere possumus eum differentiam esse inter longam ultimam et brevem censuisse. Et quo loco pedes, qui trochaeum praecedunt, nominat, creticum silentio praeterit, ut putare nobis liceat creticum atque trochaeum pro bona clausula eum non habuisse. Quod sciam, clausulam – ◡ – – ◡ primus laudat Victorinus in Rufini commentario p. 573, $_{18}$, quem locum supra pag. 38 descripsi. Itaque Rufinum hoc loco Victorini sententiam in versus redegisse puto, praesertim cum in priore quoque commentario Victorinum secutus sit. Atque duo ultimi versus eorum, quos supra p. 66 excussi, mihi non ex Ciceronis libro compositi esse videntur, quia Demosthenis artem commemoratam nusquam repperi, ubi de spondeo agitur, sed primus, quod sciam, Quintilianus hunc Demosthenis usum pertractavit eis locis, quos supra p. 30 descripsi. Sed num Rufinus illis Quintiliani locis usus sit an aliis suorum fontium auctoribus, diiudicare nequeo.

Ceteros versus ex Ciceronis libris rhetoricis fluxisse Keilius recte cognovit. Et quoniam nihil novi de hac re proferre possum, de omnibus versibus eorumque fontibus agere supersedeo, cum praesertim unus quisque, qui apparatum criticum inspexerit, sibi facile persuasurus sit Keilium recte iudicasse. Attamen unum vel alterum locum excutiam, ut om-

nes, qui forte dissertationem meam legerint, facile perspiciant, quo modo Rufinus Ciceronis verba in versus redegerit.

Legimus p. 566, $_{33}$ Rufini versus hos:

Spondeo narrare solent tibi rhetores acta,
quod gravis et tardus res gestas mentibus adfert.
dactylicis certant pedibus, quia currere possunt.
dicimus egregios Theopompi more labores,
et vitam insignem laudamus Isocratis arte:
hic stilus historiis, hic laudibus aptior haeret,

qui versus dependent a Ciceronis orat. 61, 207, ubi Tullius 'ergo in aliis, inquit, id est in historia et in eo, quod appellamus ἐπιδεικτικόν, placet omnia dici Isocrateo Theopompeoque more'. At hic Ciceronis locus aptus est ultimis tribus versibus, unde autem tres primos Rufinus sibi sumpsisset, neque Keilius adnotavit neque ego perscrutatus sum. Etiam multo cognatiores sunt cum Ciceronis verbis versus, quibus Rufinus metro sapphico de Theophrasto agit pag. 567, $_{22}$:

Rhetoras pulchros Theophrastus ornat
membra dispergens bona dithyrambi
fusa per partes: anapaestus ista
floret in arte.
longior fluxit numerus per artem,
quem dedit nobis anapaestus ille:
hinc pedes claros loca dithyrambi
rhetores aptant.

Quam scientiam Rufinum ex Ciceronis libro de oratore III, 48, 184 sumpsisse patet, quo loco Cicero 'namque ego, inquit, illud assentior Theophrasto, qui putat orationem, quae quidem sit polita atque facta quodammodo, non astricte, sed remissius numerosam esse oportere. Etiam sicut ille suspicatur, ex istis modis, quibus hic usitatus versus efficitur, post ana-

paestus, procerior quidam numerus, effloruit; inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus, cuius membra et pedes, ut ait idem, sunt in omni locupleti oratione diffusa'.

Atque cum Rufinus plerumque Ciceronem sequatur, nonnullis locis ab eo discedat, Tullium eodem fere modo adhibuit atque Quintilianus, qui de sua scribendi ratione l. IX, 4, 21 'ita accedam, inquit, plerisque Ciceroni atque in iis ero, quae indubitata sunt, brevior, in quibusdam paulum fortasse dissentiam'.

Iam si revolvimus ea, quae supra exposuimus, non omnes grammaticos, qui in auctorum enumeratione nominati sunt, excerptos, compluribus locis intra versus Rufini lacunas esse, versus identidem prosaria oratione, qua exempla inducuntur, interruptos esse, mihi persuasum est Rufinum sententias variorum grammaticorum colligere et doctrinam in versus redigere coepisse, non finivisse.

Quae sententia eo confirmatur, quod Rufinus ab aliis nusquam allatus esse videtur. Nam quod viri docti a Prisciano in libello de metris Terentianis Rufini commentarium de metris comicorum excussum esse putaverunt, id falso eos fecisse supra demonstravimus. Post Rufini mortem ignotus quidam illa frusta ex scrinio Rufini edidit, quem etiam Rufini versus tamquam in epitomen contractos p. $560,_{4-8}$ et $576,_{1-7}$, de quibus supra pag. 57 sq. egi, concinnasse verisimile est.

Dixeris disticho p. $565,_{7-8}$: 'Haec ego Rufinus collegi mente benigna | discipulisque dedi munera pulchra libens' sententiam nostram refutari, quia Rufinus ipse se commentarium edidisse confirmaverit. Sed quia commentaria non perfecta esse ipsa docent, conicere nobis licet Rufinum consilii sui fe-

cisse propositionem et, id quod multi faciunt, subscriptionem sibi adnotasse in manuscripto, priusquam commentaria ipsa perfecisset. Tum si ipse libellos edidisset, distichon in fine alterius posuisset, quo loco finis est.

De vita Rufini nihil scimus, Antiochensem eum fuisse inscriptiones docent. Et quoniam grammatici quarti saeculi in enumeratione auctorum a Rufino nominati sunt et in explicatione excerpti, viri docti eum paulo post illos vixisse censuerunt sive in ultima parte quarti saeculi (v. Keil. GL VI p. 553) sive in prima parte quinti (v. Osann, Beiträge zur griech. u. röm. Litteratur, II pag. 307). Quam sententiam structura confirmat versuum; nam quamquam non plus octoginta versus hexametri memoriae traditi sunt, tamen grammaticum quarto vel quinto saeculo floruisse illustrant.

Ex Drobischii quaestione, quae inscribitur: Ein statistischer Versuch über die Formen des lat. Hexameters, Berichte über die Verhandlungen der k. s. Gesellsch. der Wiss. zu Leipzig, philol.-hist. Klasse, Bd. XVIII (1866) pag. 75—139 facile quae genera hexametri singulis temporibus ab Ennio usque ad Claudianum maxime usitata fuerint, perspicimus. Si Drobischium secuti versus spondiacos praetereamus, quorum in Rufini commentario exemplum non invenitur, sedecim formas hexametri dactylici habemus, prout dactyli (d) et spondei (s) in quattuor primis pedibus variantur (v. Drobisch., l. l. pag. 76). Frequentia generum hexametri apud Rufinum numeris expressa est haec:

			in 100 versus
1.	d d s s	17	21,25
2.	d s s s	16	20,0
3.	d d s d	9	11,25
4.	d d d s	7	8,75
5.	d s d d	5	6,25
6.	d s d s	5	6,25
7.	d s s d	4	5,0
8.	s s d s	4	5,0
9.	s d s s	4	5,0
10.	s s s d	3	3,75
11.	s s d d	2	2,5
12.	s d s d	2	2,5
13.	s d d s	2	2,5
14.	s d d d	0	—
15.	d d d d	0	—
16.	s s s s	0	—

Si plures versus Rufini nobis traditi essent, numeri tabulae mutarentur, quoniam poetae non semper eadem versuum genera adhibent, ut ex quaestione 560 versuum certa lex efficiatur (cf. Drobisch., l. l. pag. 82). Nihilominus Rufini versus cum versibus Ennii, Vergilii, Claudiani comparabimus numeris ex Drobischii tabula l. c. p. 126 in meam translatis, ex quibus aliorum hexametri generum frequentiam ab Ennio usque ad Rufinam auctam esse, aliorum diminutam apparebit.

		Ennius	Vergil.	Claud.	Rufinus
1.	d d s s	5,8	11,5	14,8	21,25
2.	d s s s	9,4	15,1	13,4	20,0
3.	d d s d	4,8	4,7	3,7	11,25
4.	d d d s	5,1	7,0	6,8	8,75
5.	d s d d	2,9	3,7	2,5	6,25
6.	d s d s	5,8	11,7	18,2	6,25
7.	d s s d	5,8	6,4	5,4	5,0
8.	s s d s	8,5	4,6	9,1	5,0
9.	s d s s	9,4	10,3	12,0	5,0
10.	s s s d	6,0	3,1	0,5	3,75
11.	s s d d	2,4	1,85	1,4	2,5
12.	s d s d	4,6	3,7	4,3	2,5
13.	s d d s	5,6	5,5	6,1	2,5
14.	s d d d	3,6	2,0	0,5	0,0
15.	d d d d	4,8	2,3	0,9	0,0
16.	s s s s	15,5	6,45	0,4	0,0

Ab Ennio usque ad Rufinum continuo augebatur usus formarum 1, 2, 4, 5, formarum 14, 15, 16 minuebatur, cum reliquae formae plus vel minus constarent. Quae cum ita sint etiam versuum structura probare videtur Rufinum aequalem Claudiani fuisse seu paucos annos post illum vixisse.

Quod ad caesuras pertinet, nullus versus caesura caret: inveniuntur viriles, quae dicuntur, caesurae 69, hoc est in centum versus 86, 25, muliebres 11, id est in centum 13, 75. Qua in re Rufinus maxime Vergilii Georgica adaequat, quae in centum versus 85, 8 viriles, 13, 75 muliebres caesuras habere Drobischius l. l. p. 137 indicat. Denique commemoro exitus Rufinianorum versuum, h. e. quintos et sex-

tos pedes, nihil praebere, quod vituperari possit. Primus autem pes persaepe dactylica voce efficitur, qua in re Rufinus vel Ovidium superat. Nam apud Rufinum primo pede dactylica vox semel in $3^1/_2$ versus reperitur, cum apud Ovidium in Metamorpho seon libro primo, qui secundum tabulam apud Birtium, ad historiam hexametri latini symbola pag. 53, multo plures dactylicas voces habet quam reliqui Ovidii libri, semel exstet in $4^1/_3$ versus.

Haec sunt, quae de Rufini commentariis in metra Terentiana et de numeris oratorum investigavi.

Karolus Kurt Cybulla a. d. III. Kal. Jan. anni 1884 natus sum in vico Prussiae Orientalis, cui nomen est Lipowitz, patre Gustavo, matre Ottilia ex gente Jablonowski, quos adhuc in vita esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis in patriae meae schola imbutus autumno anni 1895 gymnasium Allensteiniense adii. Vere anni 1903 maturitatis testimonium adeptus Regimontium migravi, ubi per octies sex menses studiis philologis et germanicis operam dedi. Sodalis proseminarii philologi fui per unum annum, per triennium seminarii. Idem germanico seminario per sex semestria sodalis interfui. Scholas frequentavi virorum illustrissimorum

Baumgart, Busse, Heinze, Jeep, Kowalewski, Ludwich, Meissner, Rossbach, Rühl, Schade †, Schöne, Tolkiehn, Uhl, Walter, Wentscher,

quibus omnibus optime de me meritis hac occasione oblata maximas ago gratias, in primis Ludovico Jeep, studiorum meorum adiutori fautorique, et Arthuro Ludwich.

Examen, quod vocant rigorosum, pridie id. Febr. h. a. absolvi.